FABULÆ

SELECTÆ

FONTANII.

TOMUS PRIMUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

FABULÆ

SELECTÆ

FONTANII

È GALLICO

IN LATINUM SERMONEM CONVERSÆ

IN USUM

STUDIOSÆ JUVENTUTIS,

Authore J. B. GIRAUD, Presbitero Congregat. Oratorii Domini Jeſu, Rothom. Academiæ Socio.



BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

ROTHOMAGI,

Apud { LUD. LE BOUCHER, Bibl. viâ *Ganterie.*
LAURENT. DUMESNIL, Typ. & Bibliopolam.

M. DCC. LXXV.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO VIRO
ARMANDO-THOMÆ
HUE DE MIROMENIL,
REGIORUM SIGILLORUM CUSTODI.

Ad ſummos meritò quem Rex evexit honores,
THOMA, lux patriæ præſidiumque tuæ,
*Qui virtute Cato, argutoque es lumine Lynceus,**
Conſilio Neſtor, Tullius eloquio:

* *Lynceus.* Lyncei perſpicacitas in proverbium abiit. Hic Lynceus erat unus ex Argonautis tam perſpicax, ut trans parietem perſpicere diceretur, imò ipſam terram oculorum acie penetraret, & quæ apud inferos gererentur, perviderer.

Non poſſis oculo, quantùm contendere Lynceus
Non tamen idcircò contemnas lippus inungi.

Horat. lib. 1. Epiſt. 1. v. 28.

Digitized by Google

Rerum immenſarum tractas dùm nobile pondus,
Communique ſtudes conſuluiſſe bono,
Fas-ne offerre tibi tenuis munuſcula Muſæ?
Accipies-ne leves, carmina noſtra, jocos?
Accipies. Alter Mecœnas, ſpernere neſcis
Dona è Pierio vertice miſſa tibi.
Hinc te Phœbus amat, nec gratior ulla Camœnis,
Quàm quæ fauſta tuum pagina nomen habet:
Nomen, perpetuâ quod Neuſtria laude ſonabit
Tollet & è franco pectore nulla dies.
In caput antè ſuum ſe flumina cuncta revolvent,
Gallia deſierit quàm memor eſſe tuî.
Dùm loquor, ecce meas felix vox fertur ad aures,
Quemlibet exhilarat talibus illa ſonis:
O cives, cives, certatìm plaudite, claro
Rex ſapiens THOMÆ ſacra Sigilla dedit:
Cùmque daret, dixit: lectos, qui noſtra tuentur
Jura, viros inter, ſic volo, primus eris.
Quod tu jampridem votis ardentibus optas,
In decus eſt priſcum mox reditura Themis.

CELSITUDINI TUÆ,

Devotiſſimus & addictiſſimus
JOANNES-BAPTISTA GIRAUD,
Sacerdos Oratorii Domini Jeſu.

Digitized by Google

APPROBATIONS

DE L'ACADÉMIE DE ROUEN.

Extrait des Regiſtres de l'Académie des Sciences, Belles-Lettres & Arts de Rouen, du Mercredi 3 Mai 1769.

MESSIEURS de Saint-Victor, du Boullay, Balliere, Deſaas & Deshouſſayes, nommés Commiſſaires pour l'examen de la ſuite des *Fables choiſies de la Fontaine*, traduites en vers latins, par le Pere GIRAUD, de l'Oratoire, Aſſocié adjoint de l'Académie, ont fait leur rapport, duquel il réſulte :

Qu'il y a tout lieu d'eſpérer que cette nouvelle ſuite de Fables ne ſera pas reçue moins favorablement des amateurs des muſes latines, que les précédentes. Le ſuccès pouvoit ſeul démontrer la poſſibilité d'une telle entrepriſe; & MM. les Commiſſaires auroient eux-mêmes regardé la naïveté, les graces, l'aimable négligence du Poëte françois, comme des fleurs qui ne pouvoient ſe tranſplanter ſans perdre leur éclat, s'ils n'avoient été obligés, par l'évidence, de convenir que le

Digitized by Google

traducteur avoit très-ſouvent vaincu cette difficulté, par un talent naturel & rare, qui l'approche beaucoup de ſon original; qu'ainſi l'ouvrage du Pere Giraud ne pouvoit que lui faire honneur, auſſi-bien qu'à l'Académie.

Sur quoi délibéré, l'Académie a permis au Pere Giraud de faire imprimer ſes Fables, avec le titre d'Aſſocié de l'Académie.

Nous ſouſſigné, Secrétaire-perpétuel de l'Académie des Sciences, Belles-Lettres & Arts, certifions le préſent Extrait conforme au jugement de l'Académie. A Rouen ce 2 Mai 1769.

Signé, DU BOULLAY, Secrétaire-perpétuel pour les Belles-Lettres & Beaux-Arts.

EXTRAIT des Regiſtres de l'Académie des Sciences, Belles-Lettres & Arts de Rouen, du Mercredi 28 Juin 1775.

MESSIEURS Balliere, Auger, & de Couronne, Commiſſaires nommés pour l'examen du Manuſcrit du Pere Giraud, qui a traduit en vers latins les Fables de la Fontaine, ont fait leur rapport; il en réſulte que ces derniers Livres ſont dans le cas de ſatisfaire le Public, qui a déjà vu avec intérêt les trois premiers, dont l'édition parut il y a quelques

années ; & l'Académie a jugé cet ouvrage digne de l'impreſſion : en foi de quoi nous avons ſigné le préſent certificat. A Rouen, le 29 Juillet 1775.

Signés, L. DAMBOURNEY, Secrétaire-perpétuel pour les Sciences ; & HAILLET DE COURONNE, Secrétaire-perpétuel pour les Belles-Lettres. *Scellé*, DAMBOURNEY.

PERMISSION

Du Très-Révérend Pere GÉNÉRAL *de la Congrégation de l'Oratoire.*

NOUS DENIS-LOUIS MULY, Prêtre, Supérieur-Général de la Congrégation de l'Oratoire de Jeſus-Chriſt, Notre-Seigneur, ſuivant le Privilege à nous donné par les Lettres-Patentes du Roi, en date du 20 Avril 1768, *ſigné* PHELIPEAUX, regiſtrées au Parlement le premier Juin de la même année, par leſquelles défenſes ſont faites à tous Imprimeurs, Libraires, & à tous autres, d'imprimer, ni mettre au jour aucun des Livres compoſés par ceux de notre Congrégation, ſans notre expreſſe

Digitized by Google

licence par écrit, ſous peine de confiſcation des Exemplaires, & de mille livres d'amende, Permettons à LOUIS LE BOUCHER, Libraire à Rouen, & à LAURENT DUMESNIL, Libraire-Imprimeur à Rouen, d'imprimer & expoſer en vente un Ouvrage intitulé : *Selectæ Fontanii Fabulæ*, compoſé par le P. JEAN-BAPTISTE GIRAUD, Prêtre de notredite Congrégation. Fait à Paris, ce 6 Septembre 1775. *Signé*, MULY.

De l'ordre de N. T. R. P. Général,

Signé, DES ESSARTS, Secretaire de l'Oratoire.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

FONTANII præconium non aggrediar; ſama, quam ipſi peperit apologus, gallias omnes cæteraſque regiones tantâ celebritate pervagata eſt, ut fabulatorem adeò egregium, cui parem adhuc neminem vidimus, tantùmmodò nominare, ſit eumdem plenis & cumulatis laudibus extollere. Sed quò clariùs omnibus antecellit, eò magis cuique mirum videbitur, quòd ſcriptor qui ſe immenſo, à tam inſigni vate, intervallo abeſſe ſentit & fatetur, illum tamen latinam in linguam convertere auſus fuerit. Florere nos oporteret iiſdem ingenii ornamentis, quibus à naturâ fuerat inſignitus, veneres & elegantiam cum ſimplicitate & ingenuitate conjunctas habere, poſſe noſtrum ſtylum ad quodvis argumenti genus inflectere, ſingulas res, quæ depinguntur, coloribus veſtire, qui ſplendidiùs fulgeant & majorem concitent admi-

a vj

Digitized by Google

rationem. Sed quamvis quiſpiam paribus cœli donis non ſit inſtructus, non omni tamen laude caret, ſi, ſuum ut exerceat ingenium, ad exemplar adeò perfectum longè ſaltem accedere enitatur. Litterarum reſpublica doctiſſimis viris ſemper gratulata eſt, qui ſuas impenderunt lucubrationes, ut gallicum in ſermonem transferrent Virgilii, Horatii, & Ovidii carmina, quorum excellentiam nullus hucuſque interpres, ſi publico omnium judicio aſſentiamur, valuit adæquare.

Jure igitur confido mihi vitio non vertendum, quod ſelectas Fontanii fabulas latinis expreſſerim verſibus, præſertim ſi (*a*) attendatur me, non meâ ſponte, ſed amicorum conſilio adductum ut ſtadium tam difficile decurrerem. Nec tamen meum hoc opus in lucem exiviſſet, niſi periti & acris judicii viri ad illud vulgandum me cohortati, affirmaſſent utilitatis aliquid ab adoleſcentibus litterarum ſtudioſis hinc poſſe percipi.

Nihil de legibus dicam quibuſcum linguæ in linguam converſio, ut omni culpâ vacet,

---

(*a*) Quamvis, amicis ſuadentibus, Fontanium latinè reddiderim, ita tempus, quod eſt adeò pretioſum, partitus fui, ut præcipuam ejus partem ſtudiis utilioribus, meoque ſtatui conſentaneis impenderim.

Digitized by Google

debet conſentire, quamvis, quo defungor, interpretis officium quodammodò id à me poſtulet. Rem fusè & ſingulatim executi ſunt plurimi ſcriptores, tamque diligenti curâ & ſplendido apparatu, ut nihil ſuprà. Sed, ubi, quas leges oſtentaverant, ad uſum revocandæ venerunt; quiſque obſtupuit, quod à nonnullis ideò expoſitæ & ſtatutæ videantur, ut ſingulas & omnes ab iis fuiſſe violatas magis pateret. Meritò illos hominibus conferre poſſis, qui, cùm de arte pingendi diſſerunt, animos mirè delectant & potenter rapiunt; ſed imagines ſuo rudi penicillo elaboratas propalàm vix collocant, cùm omnibus ludibrio ſunt atque deſpectui.

Si quis tamen inſtet, ut declarem, quid ad interpretationem, omnibus abſolutam numeris, cenſeam requiri, reponam debere veracis ſpeculi eſſe ſimillimam, quod res objectas, quales recipit, tales remittit, undè ſpectantes gratâ percelluntur admiratione, dùm res ipſas videre ſibi videntur, quamvis ſolas intueantur imagines.

Oporteat pariter ut qui interpretationem legit, ipſum exemplar à ſe legi exiſtimet; en regula, quæ cæteras omnes una complectitur. Quantò quis minùs ab illâ recedit, tantò melior habendus eſt interpres. Nihil

prætermiſi, ut ipſam religioſè ſervarem, quanquàm perſuaſum habeo, fore ut multa occurrant loca, in quibus mei tenuitas ingenii obſtitit, quominùs ad hancce normam tàm propè accederem, quàm & debui & expetivi. Omnis tamen lector, modò ſit æqui amans, fatebitur me totum in hoc incubuiſſe, ut author, quem tranſtuli, ſummâ fide redderetur, multa in elocutione ſpargeretur varietas, incorrupta ſtaret vocum integritas, perplexa omnis dictio longè amoveretur. Sed quò legentibus certiùs conſtaret quaſdam voces & phraſes uſu optimo eſſe conſecratas, annotationes appoſui, in quibus nomina authorum, qui eaſdem uſurpârunt, indicantur, non eâ mente ut adjuvem eruditos (abſit enim ut iis dare velim documenta, à quibus ipſemet ſim edocendus) ſed Parnaſſi alumnos, & complures qui à multis annis romano ſermoni valedixerunt. In illorum gratiam carminis genus delegi, quod ipſis magis arridet; plurimos enim, præſertim inter adoleſcentes, quibus imprimis prodeſſe velim, videre eſt, qui ſolutam orationem ſuis objici oculis arbitrantur, quoties verſus ïambici ſibi lectitandi offeruntur; contra elegiæ metro ſe quaſi à ſomno excitari, ſuaſque aures blandè mul-

Digitized by Google

ceri læti ſentiunt. Quod quidem confidenter affirmare non dubitem, nec quiſquam verax & ſincerus certum eſſe & quotidianâ experientiâ comprobatum inficiabitur.

Inſuper fabellæ (*b*) ſententiis ſcatent ad

(*b*) *Fabellæ ſententiis ſcatent*, &c. Immeritò igitur fabellas quidam, quantùm in ſe eſt, deprimunt, eaſque nugis anilibus annumerant. Sed ſpero eoſdem ſuam depoſituros ſententiam, cùm ipſis compertum erit virum clariſſimum, qui apud gallos vocabatur *M. le Maître de Saci*, altiſſimâ eruditione & rariſſimâ pietate pariter conſpicuum exiſtimaſſe, ſe de juvenibus ſtudioſis benè meriturum, ſi, ut ipſorum mores informaret, Phædrum in linguam gallicam converteret; ejus interpretatio anno 1646. edita eſt, nomenque domini Sancti Albani præ ſe fert. Operæ pretium eſt referre, quid de fabularum contemptoribus ſentiret. *Il y en a*, inquit ille vir cordatiſſimus in admonitione ſuæ interpretationi præfixâ, *qui, lorſqu'ils entendent ſeulement le nom de fables, en ſont frappés auſſi-tôt, & en conçoivent de l'averſion; ils s'imaginent que l'on veut leur faire les mêmes contes qui ſont ordinairement dans la bouche des ſemmes & des nourrices, & qu'on les rabaiſſe dans un entretien tout-à-fait indigne de l'âge avancé, qui nous rend capables de grandes choſes. Mais, certes, nous pouvons dire, avec raiſon, qu'ils tombent, ſans qu'ils y penſent, dans l'inconvénient qu'ils avoient voulu éviter; & que faiſant trop les hommes, & ayant trop peur de paroître enfants, ils jugent, en effet, de ces fables, non en hommes, mais en enfants: car ils té-*

Digitized by Google

mores informandos aptiſſimis quæ animis omnium præſentes & obviæ eſſe deberent,

---

moignent aſſez, par le mépris qu'ils en ſont, qu'ils ne les conſiderent que par l'écorce & l'extérieur, comme les enſants ont accoutumé de ſaire, & qu'entendant parler du loup & de l'agneau, ils ne s'arrêtent qu'à la rencontre des deux bêtes, ſans porter leur eſprit ſur la violence des injuſtes, dont elles ſont une parfaite figure. Les hommes ſages, au contraire, pénétrant juſques dans le ſond de ces ſables, y découvrent de tous côtés des inſtructions très-hautes & d'autant plus utiles, qu'elles ſont mêlées avec ces fictions divertiſſantes.

Idem dominus *de Saci* in ſuâ expoſitione noni capitis libri judicum, ex apologo, quo uſus eſt Joathan, Gedeonis filius, occaſionem arripit ità fabulas commendandi. *Saint Auguſtin, parlant de cette figure ou de cette parabole qu'employa alors Joathan, fils de Gédéon, dit que ces ſortes de fictions ne ſont point contre la vérité, parce qu'elles ſont deſtinées à ſignifier quelque choſe de véritable, & que l'image en eſt même utile pour imprimer en quelque façon plus fortement dans les eſprits la vérité que l'on veut ſaire entendre*, ut ejuſmodi fictis narrationibus, inquit ſanctus Auguſtinus, lib. 3. de Mendacio, ſed veracibus ſignificationibus, quod vellent, commendatiùs intimarent.

Eam ob cauſam Pius IV. ſummus pontifex, qui ſæculo decimo-ſexto, Petri ſedem tenuit, Faerno Cremonenſi præcepit, ut ſelectas Æſopi fabulas latinis exprimeret verſibus; quod hic poëta tam feliciter executus eſt, ut litteratorum ſuæ ætatis virûm exiſtimationem ſibi paraverit; ſed illo immaturâ morte præ-

Digitized by Google

ut pro variâ temporum opportunitate quiſque illis uteretur. Sed ſententia, elegiaco carmine enunciata, faciliùs retinetur, altiùsque memoriæ infixa hæret, quàm ſi ïambico eſſet expreſſa. Non immeritò igitur hoc metrum cæteris præpoſui, eòque libentiùs, quòd ducem ſecutus ſim Ovidium, qui illud adhibuit ad condendas plures fabulas, quarum ferè triginta in ejus faſtis reperiuntur, exempli gratiâ: *Hyppolitus curru excuſſus*, *Cacus ab Hercule ſuperatus*, *Remus & Romulus à lupâ nutriti*, *Dædalus cereis alis aëra pervolitans*, &c. Sed quantùmlibet valeant, quas attuli, rationes, iis tamen fortè non movebuntur quidam viri, quorum peritiam nomenque revereor; ſi quidem ex magnâ diſtichorum multitudine oriri contendunt ſonum nimis æquabilem, qui tandem animum defatigat. Sed reponere ſatis eſt aliter ſenſiſſe omnes antiquos quorum nullus ex hoc capite

---

cepto, idem papa ejus fabulas cardinali Borromæo, quem ſancti Caroli nomine cognitum veretur eccleſia, juſſit dedicari, dedicationemque libenti accepit animo celeberrimus ille Cardinalis, cujus morum ſanctitatem æquabat ingenii acumen. Tandem eædem Faerni fabulæ ſolutâ oratione redditæ ſunt à domino Dioniſio, & magno Boſſueto nuncupatæ, qui eas ſuo patrocinio decoravit.

culpavit clariſſimos ſuæ ætatis poëtas, qui longiſſima opera elegiacis verſibus conſcripſerunt; nullus eo nomine reprehendit (c) Cornelium Gallum, nullus Tibullum, nullus Propertium, nullus Naſonem, ex cujus elegiis ſimul collectis poſſit exurgere volumen, quod toti Virgilio bis æquivaleat.

(c) *Cornelium Gallum*, &c. Nobis ſuperſunt quædam hujuſce authoris fragmenta, in quibus ſeptingentiquadraginta verſus continentur. Tibullus elegiacis verſibus quatuor libros conſcripſit, Propertius totidem, ſed multò longiores; Ovidius eodem ſcribendi genere compoſitos quadraginta novem libros nobis reliquit. In primo & quinto faſtorum libro extant ſeptingenta & amplius carmina, in ſecundo & tertio octingenta, in quarto nonaginta quinquaginta quatuor, in ſecundo triſtium quingenta decem & octo. Nullus tamen inter veteres author proferri poteſt, qui Ovidio vitium objecerit, quod gallicè vocitamus *Monotonie*.

Nemo neſcit à Feſto Avenieno, qui quarto ſeculo exeunte vixit, elegiacis carminibus conditas fuiſſe plures fabulas, illumque à nemine reprehenſum, quòd tale carminis genus adhibuerit, ſed tantùmmodò incuſatum, quòd ſæpè elegantiâ careret & ad vocum proprietatem non ſatis attenderit. Tacere non poſſum duos noſtræ congregationis presbyteros, ſcilicet Vinotum & Tiſſartum eodem metro quadraginta & ampliùs Fontanii fabulas in latinos verſus, tranſtuliſſe; eorum interpretatio à doctiſſimo abbate Goujetio laudata eſt in ſuo opere, quod inſcribitur: *Supplément au Moréri*, quod lectores conſulere poterunt.

Digitized by Google

Et profectò quidem priſci non minùs ſani & acuti rei poëticæ judices haberi debent, quàm recentes. Latina lingua erat illis nativa & propria; nobis verò peregrina. Hinc ego ſemper gloriæ ducam quòd ad júdicium ætatis Auguſti me accommodaverim, ſimque eo metro uſus, cujus exemplum mihi præbuerunt celeberrimi litteratæ vetuſtatis Scriptores, cenſuramque libentiſſimè patiar, quæ tota conſpicuos impugnat authores, quorum tamen poëſim dùm prædico, laudis nihil quibuſdam argumentis tribuo, in quibus uberem venam non illæſis moribus exercuerunt. Utinàm Fontanius eos imitari abſtinuiſſet in ingenioſis aliquot figmentis, quæ conſultò prætermiſi, quòd nempè vel eximiis ingenii fetibus ſuum penè totum adimi pretium, quandò aliquam virtuti labem inferre poſſunt, mihi ſit perſuaſiſſimum.

Digitized by Google

HORTATIO

Ad juvenes Muſarum Alumnos, ut ſelectas Fontanii fabulas legant & perlegant. (a)

Qui ſapitis, juvenes, Fontanî veſtra libellos
Verſare aſſueſcat, nocte dieque, manus.
Fabellis adeò celebrem non priſca tulerunt
Secla virum, nuſquàm poſtera ſecla ferent.
Quid deceat, quid non, vates vos ille docebit
Pleniùs argutis lucidiùſque ſophis.
Quæ finxêre alii, feliciùs auget & ornat.;
Æſopique, ſuas reddere novit, opes.
Quas res cumque canat, ſubitò (vis tanta comœnæ)
Obſcuræ ſplendent, pondus habentque leves.
Quem non feſtivæ delectet acumine mentis,
Dùm liquido fundit carmine mille ſales?

(a) Fortaſsè quiſpiam mirabitur, quòd hos ego verſiculos fecerim, ut muſarum alumnos ad legendas Fontanii fabulas excitarem, quæ ſatis per ſemet omnium alliciunt animos: ſed mirari deſinet, ſi attenderit eâ nos ætate vivere quâ plerique juvenum, figmentis delectentur anilibus quæ ſenſu ſunt omninò vacua, & perfido melle præſens tegunt venenum, eòque tendunt, ut caſtos mores corrumpant, aut ad apertam nos trahant impietatem. E contrà ſelectæ Fontanii fabellæ, quas latinè reddidi, ſalubres lectoribus offerent ſententias, quæ à vitio quolibet animos avocant, & ad amorem virtutis impellunt.

12. *Sales.* Sal propriè eſt id quo utimur in condiendis cibis: ſal tranſlatè ſumitur pro dictis ad riſum & delectationem compoſitis. Sales, qui in dicendo mirum, quantùm valent. *Cic. Orat.* 87.

Lepore tinctos attico ſales narrat. *Martial. l.* 3. *Epig.* 20.

Digitized by Google

Vel tantilla cavens faſtidia ferre legenti,
  Delicias animis ſufficit uſque novas.
Credideris Charites totum ſcripſiſſe volumen,
  Verſus tam vario quiſque lepore nitet!
Semper & egregiâ placeat licèt omnibus arte,
  Huic natura tamen dux regit una manum.
Ut nos edoceant, genus advocat omne ferarum,
  Jamque frui gaudent jure magiſterii.
Quin levibus modulis animatæ quercus, arundo,
  Verba per alternas dant referuntque moras.
Vos riſus juvat? Hîc votis juvenilibus apta,
  Innocuos riſus læta camœna movet.
Appetitis flores? Hîc dives copia florum,
  Queis nec ſol ardens, nec fera bruma nocet.
Si juvenes, jam mente viri, fructum inſuper optant,
  En ollis fructus ſuavis & uber adeſt,
Tollere quem neſcit latro, corrodere vermis,
  Damnoſum tempus quem vitiare nequit.
Copia ſunt florum, verborum mira venuſtas,
  Et joca mille, operi vividus undè color.
Sunt ſimul & fructus, vitæ præcepta regendæ;
  Qui ſemel hos carpit, carpere rursùs amat;
Dùmque tenent blandâ captam dulcedine mentem,
  Virtus illectum pectus amica ſubit.
Quis, modò ſit ſanus, tanti abnuat arte magiſtri
  Ingenium & mores excoluiſſe ſuos?

---

12. *Subdet jugo.*
  Jugo ſubdidit eos. *Plin. lib.* 8. *c.* 16.
14. *Sufficit.* Sufficere *pro* ſuppeditare, adminiſtrare.
  Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus umbras
  Sufficiunt. *Virg. Georg. l.* 2. *v.* 439.
  Poſthinc digreſſus, jubeo frondentia capris
  Arbuta ſufficere, aut fluvios præbere recentes.
  Idem. Georg. l. 3. *v.* 301.

SERENISSIMO

DELPHINO.

Fert animus mores heroum & dicere facta,
Æſopo celebres quos patre fama canit.
Quot refero eventus, quanquàm mendace libello,
Vera tamen morum tot documenta latent.
Cuncta meo fari verſu didicêre : vel ipſa
Squamea gens, mutum deſinit eſſe genus ;
Alloquitur noſtrûm quemvis, pecudeſque magiſtræ,
Quæ ſectanda homini, quæ fugienda, docent.
Dîs CARI SOBOLES REGIS DIGNISSIMA, *totus*
In quo nunc orbis lumina fixa tenet :
Cui poſthàc dabitur ſoles numerare triumphis,
Cùm juſto ſubdet colla ſuperba jugo.
Regum virtutes, atavorum & ſplendida facta
Magno alius vates pleniùs ore ſonet.
Nos leviora tibi meditamur dicere ; fictis
Ludere imaginibus noſtra Camœna parat.
Si verſu nequeam te delectare jocoſo,
Rem tentâſſe tamen pars mihi laudis erit.

---

8. *Quæ ſectanda.* Sectari eſt ardenter ſequi, perquirere.
——— Sectantem lævia nervi
Deficiunt. *Horat. Art. Poët.*

11. *Numerare.* Argumenta, ſi ex reis numeres, innumerabilia ſunt, & obſcura ; ſi ex rebus, valde modica & illuſtria. *Cic. 2. de Orat. 137.*

Donec eris felix, multos numerabis amicos.
Ovid. lib. 1. Triſt. 9.

Digitized by Google

A MONSEIGNEUR
LE DAUPHIN.

Je chante les héros dont Eſope eſt le pere,
Troupe de qui l'hiſtoire, encor que menſongere,
Contient des vérités qui ſervent de leçons.
Tout parle en mon ouvrage, & même les poiſſons.
Ce qu'ils diſent s'adreſſe à tous tant que nous ſommes.
Je me ſers d'animaux pour inſtruire les hommes.
Illustre Rejetton d'un Prince aimé des Cieux,
Sur qui le monde entier a maintenant les yeux,
Et qui, faiſant fléchir les plus ſuperbes têtes,
Comptera déſormais ſes jours par ſes conquêtes;
Quelque autre te dira, d'une plus forte voix,
Les faits de tes aïeux, & les vertus des rois:
Je vais t'entretenir de moindres aventures,
Te tracer, en ces vers, de légeres peintures;
Et ſi de t'agréer je n'emporte le prix,
J'aurai du moins l'honneur de l'avoir entrepris.

---

15. *Fictis imaginibus.*
——— Fictâque probes ab imagine veram.
Ovid. 14. Metam.
Picta aut ficta imago. *Cicer. 5. Fam. 12.*
18. *Pars laudis.* Pars pro initio eleganter ſumitur.
Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.
Virgil. Æneid. lib. 7. v. 266.

Digitized by Google

MONITUM LECTORI.

LECTOREM admonendum cenſui, 1°. me in mea Fontanii interpretatione ſolam ſecutum editionem Domini *Coſte*, omiſſis tamen ejus notis, ne volumen æquo ampliùs fieret ; 2°. mutatos à me gallicos quoſdam Fontanii verſiculos, ut litterarum Alumni nihil legerent, quod vel leviſſimè mores poſſet lædere.

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER PRIMUS.

FABULA PRIMA.

Cicada & Formica.

CANTIBUS aſſiduis nequicquam rura fatigans,
Triverat æſtivos læta cicada dies.
Sæviit ut Boreas, ſe improvida ſenſit egentem;
Vermiculi aut culicis fruſtula nulla domi.
Divitis ergò petit formicæ limina ſupplex:

3. *Egentem.* Egens eſt propriè, cui deſunt neceſſaria ad vivendum.

Egens relicta eſt. *Ter.* 2. 2. 10.

Egentes inaneſque diſcederent. *Cic.* 4. *Verr.* 22. Vide *Horat.* *l.* 2. *v.* 98.

O vicina, fames me malè torquet, ait.
Quò vitam tolerem, Zephyrus dùm frigora ſolvat,
Mutua des, oro, granula pauca mihi.
Nulla fides pecudum*, ſi non ego fenora ſortemque
Exolvam antè tibi, quàm ſata falce cadant.
Rem ſervat formica ſuam, nec commodat ulli:
Hanc culpam ante alias relligioſa cavet.
Quid, campis æſtus cùm ferveret, inquit, agebas,
Quæ mendica cibum nunc petis ante fores?
Ignoſcas, quæſo, venienti cuique canebam,
Feſtivos iterans, nocte dieque modos.
Æſtus quando fuit, ceciniſti? lætor, amica;
Eia agedum, ſalta, dùm riget acris hiems.

---

7. *Quò.* Id eſt, *ut.* conjunct.

Quò regnum Italiæ Libycas averteret oras. *Virg.* 3. *Æneid.*

9. *Pecudum.* Vox *pecudes* potiſſimùm de quadrupedibus dicitur, ut ſunt boves, aſini, equi, capræ, oves. Sed de aliis etiam animantibus dici poteſt, inquit Nonius 6. 65.

——— Pecudum cuſtodia ſolers.

Virg. 4. *Georg.* *v.* 327. *de Apibus.*

Squamigeræ pecudes. *Lucret. de Piſcibus*, *l.* 2. *v.* 343.

Calepinus, Robertus-Stephanus & Vanierus in ſuis Dictionariis, de uſu hujus vocis idem ſentiunt ac Nonius. Vanierus admonet quòd, quandò alia animantia ac quadrupedes, vocantur pecudes, id fit per tranſlationem.

9. *Fenora.* Fenus eſt merces ſummæ mutuò datæ. *Sors.* Sæpè ſumitur pro ſummâ integrâ mutuò datâ. Sortem accipe imò fenus. *Plaut. Moſtel.* 3. 1. 64. Quinquaginta illi debentur minæ, & ſors & fenus. *Ibidem*, 3. 1. 122.

10. *Sata* pro *ſegetibus.*

Ure ſata. *Virg.* 4. *Georg.* Vide 2. *Æneid.* 306.

Per ſata perque vias fertur. *Ovid.* *l.* 2. *Faſt.*

13. *Ferveret.*

Quoſve dabas gemitus, cùm littora fervere latè
Proſpiceres arce ex ſummâ, &c. *Virg.* 4. *Æneid.*

15. *Ignoſcas.*

——— Ignoſcite divæ. *Ovid.* *l.* 4. *Faſt.*

FABULA II.

Cujus argumentum ex decimâ-tertiâ Phædri Fabulâ, lib. 1. deſumptum eſt.

Corvus & Vulpes.

Caseolum ore tenens conſederat arbore corvus;
Venit eò vulpes, illiciebat odor.
O *flos* corvorum, ſalve: quàm bellulus, inquit,
Fronte nites! oculos ut tua forma rapit!
Pol, tibi quæ pennis eadem eſt ſi gratia voci,
Sis avibus Phœnix, quæ nemus hocce tenent.
Dat corvus bibulam mellitis laudibus aurem,
Nec præ lætitiâ temperat ipſe ſibi.

---

1. *Ore.* Os quandoque idem ſignificat ac roſtrum.
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa vulpes avidis rapuit dentibus.
Phædr. l. 1. f. 13. de Corvo.

1. *Conſederat.*
Examenque apium longâ conſederat uvâ,
Culmine delubri. *Juven.* 13. *Sat.*

2. *Illiciebat.* Illicere eſt blandè allicere. Illiciebas me ad te. *Plaut. Aſin.* 1. 3. 24. Is me in hanc illexit fraudem. *Ib. Milit.* 5. 41. In fraudem illicis. *Ter. Andr.* 5. 4. 8. Cavereque ne illiciaris. *Lucret. l.* 4. 1138.

3. *Flos.* Metaphoricè pro eximio & præſtantiſſimo. Virum excellentem præclari tùm illi homines florem populi dixerunt. *Cic. de Clar. Orat.* 59. Flos delibatus populi. *Idem. de Clar.* 58.

6. *Tenere.* Per tranſlationem, pro *habitare.*
——— Quæ gurgitis hujus
Ima tenes, *i. e.* habitas. *Virg. Georg l.* 4.

7. *Bibulam.*
Nequicquam populo bibulas donaveris aures. *Perſ.* 4. *Sat.* Id eſt, fruſtrà aures laudis avidas aſſentanti populo præbueris.

Digitized by Google

Et mirè cupidus vocem oſtentare canoram,
Os cœpit latum pandere; præda cadit.
Corripit hanc ſubitò vulpes; dein, ô bone cantor,
Effati, quæſo, ſis memor hujus, ait:
Paſcit adulantes, laudem qui credulus audit.
Næ, monitu haud potior caſeus iſte tuus.
Mœrens & pudibundus ait, ſed ſeriùs, ales:
Per ſuperos, alius non mihi verba dabit.

---

9. *Cupidus oſtentare.*
— Mortemque timens, cupiduſque moriri. *Ovid. l.* 14. *Metam.*
11. *O bone.*
——— O bone, ne te,
Fruſtrêre. *Horat. l.* 2. *Sat.* 3.
15. *Pudibundus.* Idem quod pudens.
Illa diù reticet, pudibundaque frondibus ora
Protegit. *Ovid. l.* 2. *Faſt. de Lucretiâ.*
Caudâ annuis vicibus amiſſâ cum foliis arborum, donec re-naſcatur iterùm cum flore, pudibundus & mœrens quærit latebram. *Plin. l.* 10. *cap.* 20. *de Pavone.*
16. *Verba dare alicui.* Eſt decipere aliquem. Cui dare verba difficile eſt. *Ter. Andr.* 2. 3. 6. Continuò tibi dari verba cenſes. *Ibid.* 3. 2. 24.
—— An, ut ignotum dare nobis
Verba putas. *Hor. l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 22.

Digitized by Google

FABULA III,

Cujus argumentum ex vigeſimâ-quartâ Phædri Fabulâ; lib. 1. deſumptum eſt.

Rana rupta.

Vix ovo, quanta eſt, par rana videbat in arvis
Seſe præſtanti mole movere bovem.
Jam tumet, intendit nervos, ſeſe invida torquet,
Fiat ut immenſæ, quam ſtupet, æqua feræ.

---

2. *Mole.* Moles pro magnitudine ponitur.
——— Vaſtâ ſe mole moventem. *Virg.* 3. *Æneid. de Polyph.*
——— Hic membris & mole valens.
Idem, de Entel. 5. *Æneid.* 431.

4. *Quam ſtupet.*
Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Minervæ.
Virg. 2. *Æneid.*

4. *Feræ.* A ferendo dictæ ſunt, quòd ſine ratione ferantur. Interdum feræ ſignificatio, ut obſervat Calepinus, latiùs extenditur, ut omnia ferè bruta terreſtria complectatur. Expertes rationis & orationis feræ. *Cic. l.* 1. *de Offic.* 50. *de animantibus generatim loquens.*

Ovidius de Metempſycoſi ſic loquentem inducit Pythagoram;
Carne feræ ſedant jejunia, nec tamen omnes,
Quippè equus & pecudes armentaque gramine vivunt:
At quibus ingenium eſt immanſuetumque ferumque,
Armeniæque tigres, iracundique leones,
Cumque lupis urſi, dapibus cum ſanguine gaudent.
Lib. 15. *Metam.*

In his verſibus Ovidius apertè diſtinguit duplicis ſpeciei feras: quarum aliæ ſunt manſuetæ, quales equus, armenta ſeu greges boum; &c. Aliæ immanſuetæ, cujuſmodi ſunt tigres, leones, lupi & urſi.

Digitized by Google

Defixis oculis, me, quæſo, dixit anhelans,
O ſoror, aſpicias. Eſt ſatin? Illa negat.
Pervêni? Nondum. Saltem nunc aſſequor? Erras.
Monte ut gleba minor ſic es & ipſa bove.
Perſtitit inflari demens, dùm rupta jaceret.
Idem error noſtrum cæcat ubique genus.
Vano ardet faſtu privatus condere quivis
Summatum tectis æmula tecta virûm.

Idem Ovidius, de Metempſycoſi:

——— Quoſlibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter. *Eod. lib. v. 166.*

Ex hoc principio Pythagoras colligit ibidem nec oves, nec boves, nec aves, &c. ab homine poſſe occidi & manducari, ac proindè in hoc ſecundo exemplo, oves, boves & aves inter feras ponuntur.

6. *Satin.* Quid ſi aſſimulo, ſatin eſt? *Ter. Phorm.* 1 4. 33. Satin eſt, ſi te delibutum gaudio reddo. *Ibid.* 5. 6. 17. Satin eſt, ſi tibi meum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas. *Plaut. in Milite glorioſo*, *act.* 4, *ſcen.* 4, *v.* 37.

7. *Pervêni.*

——— Quid, qui pervênit, fecitne viriliter? *Horat.* 1. *Ep.* 17.

9. *Rupta.*

——— Rupto jacuit corpore. *Phædr.* 1. *f.* 24. *de Ranâ.*

11. *Privatus.* I. e., qui non eſt conſtitutus in aliquâ dignitate. Privatum oportet æquo & pari cum civibus jure vivere. *Cic.* 1. *off.* 124.

Invidia accrevit, privato quæ minor eſſet. *Hor. l.* 1. *Sat.* 6. 26.

12. *Summatum.* Ergo oratores populi, ſummates viri. (*i. e.* viri primarii & principes) ſummi accumbent. *Plaut. Stich. act.* 3. *v.* 480. Tibi hæc ego loquor, deliciæ ſummatum virûm. *Idem Plautus*, *Pſeud.* 4. 90.

12. *Æmula.* Æmulus jungitur cum dativo & genitivo.

Æmula picenis (*i. e.* certantia picenis malis) & odoris mala
recentis. *Juven.* 11. *Sat.*

Digitized by Google

Nobilibus pueris ſtipari quilibet ambit
Marchio : legatos regulus omnis habet.

——Timagenis æmula lingua, (*i.e.* quæ conatur Timagenem imitari.) *Horat.* 1. *Ep.* 19.

——— Æmula labra roſis. *Mart.* 4. *l.* 42.

FABULA IV,

Cujus argumentum ex ſeptimâ Phædri Fabulâ, lib. 2. deſumptum eſt.

Duo muli.

Una ibant muli duo: ſqualidus alter avenam,
Fert vectigales ſplendidus alter opes.
Hunc exultantem pretio non moveris ullo,
Pondere ut inſigni terga levata velit.
Inſultante quatit terram pede, turgidus ora,
Et reſono greſſus nuntiat ære ſuos.
Hoſtis adeſt nummis inhians, fiſcoſque vehentem
In mulum, telis horrida turba, ruit.
Arreptum ſiſtit frœno: fruſtrà ille reluctans,
Vulnera lethali ſentit adacta manu.
Suſpirat graviter funuſque ita lamentatur:
Hæccine ſors illa eſt, quam cecinêre mihi?
Hic mulus me ponè ſequens, impunè periclum
Vitat, ego ſpolior, diſpereoque miſer.
Tùm comes illæſus: ſplendenti munere fungi
Non, ut jactabas, ſemper, amice, juvat.
Piſtrinarî, ut ego, famulus ſi pauperis eſſes,
Non tibi veniſſet tam celer hora necis.

---

14. *Diſpereo* pro *pereo*.
Diſperеam, nî ſummoſſes omnes. *Horat.* 1. *Sat.* 9.
Si non mentiris, Claſſice, diſpeream. *Mart. lib.* 2.

17. *Piſtrinarî*, per ſyncopen, *i. e.* piſtrinarii. Piſtrinarius eſt piſtrini cuſtos. Puto eſſe actionem adverſùs piſtrinarium ex conducto. *Ulpian. l.* 1. *D. depoſiti.* 9.

FABULA V,

Cujus argumentum ex ſextâ Phædri Fabulâ, lib. 3. deſumptum eſt.

Lupus & Canis.

Totus erat pellis lupus olim totus & oſſa;
(Tutabatur oves tàm benè cura canum;)
Ille vagum offendit per devia rura moloſſum,
Quem ſua commendat forma, ſagina, vigor.
Oppugnare canem, carnes in fruſta ſecare,
Jejunum ſubiit mira cupido lupum.
Sed tentanda priùs luctaminis alea; ad acrem
Aptus erat pugnam robore, mole canis.
Ergò lupus comis, pronâ & cervice ſalutans:
Ut tu pelle nites! ut tua membra vigent!
Cui canis: & facili pingueſces, optime, curâ,
Horrida, ſi ſapias, luſtra relinque tuis;
Tartaream hîc degunt vitam, gens omnium egena,
Exhauſta ærumnis, nata perire fame.

---

7. *Luctaminis.*
——— Luctamen abeſſet. *Virg. Æneid. 8.*
8. *Mole.* Vide notam fabulæ tertiæ, verſu ſecundo.
14. *Nata.*
At rubus & ſentes tantummodò lædere natæ.
Ovid. de Nuce, 113.
——— Animal natum tolerare labores.
Idem. 15. Metam. 122.
Nos numerus ſumus & fruges conſumere nati.
Horat. 1. Epiſt.
14. *Perire fame.*
——— Pereo fame. *Phædr. l. 3. f. 7.*

Hic nullas gratis epulas fortuna miniſtrat;
    Venter nil certi, quo ſaturetur, habet.
Vis parat una cibos: tua fer veſtigia mecum;
    Lætiùs hinc vives. Tunc lupus, at quid agam?
Penè nihil: Lare pannoſos arcebis herili,
    Limina qui pulſant fuſte, ſtipemque rogant.
Perblando famulos vultu geſtuque loquaci,
    Obſequioque tibi conciliabis herum.
Hæc ſi præſtiteris, merces te quanta ſequetur!
    Dulcia fruſta manent & genus omne dapum.
Mollia nec pulli nec deerunt oſſa columbæ,
    Paſſim & blanditias fundet amica manus.
Jamque lupi tenero produnt ſe gaudia fletu,
    Lætæ adeò ſortis pectus imago movet.
Cœptum iter in ſilvâ peragunt. Lupus ecce moloſſo
    Conſpicit exeſis turpia colla pilis.
Nam quid conſpicio? Nihil eſt. Nihil? Eſt leve quiddam.
    Dic tamen. Hanc fecit fortè catena notam.

---

15. *Gratis.*
——— Gratis pœnitet eſſe probum. *Ovid.* 2. *de Pont.* 3. 14.

17. *Parat*, i. e. acquirit.
——— Divitias avidus ſine fine parandi.
Ovid. l. 1. *Triſt. Eleg* 2.
Undè parentur opes. *Horat. Art. Poet.*
——— Servoſque tuos, quos ære pararis.
Idem. l. 2. *Sat.* 3.

25. *Deerunt.*
——— Non vobis, Rege latino
Divitis uber agri, Trojæ-ve opulentia deerit. *Virg. Æneid.* 7.

31. *Nam quid* pro *ſed quid.*
Nam quis te, *i. e.* ſed quis te. *Virg. Georg.* 445.
Nam quid ego de Cicerone dicam? *Cic. l.* 14. *Epiſt.* 1.

31. *Nihil eſt.*
Undè hoc? Amice, nihil eſt. *Phædr. l.* 1. *f.* 6.

32. *Fecit notam.*
——— Notam ſine vulnere fecit. *Ovid.* 11 *Metam. v.* 9

Digitized by Google

Fortè catena? Ergo tibi, quò lubet, ire poteſtas
  Non datur? Haud ſemper; ſed quid, amice, nocet?
Sic nocet, immenſas ut opes hâc lege recuſem,
  Jam ſaxis valeas tuque dapeſque tuæ.
Hæc lupus: atque fugit, ſibi tanquam inſtante catenâ,
  Currit adhuc mediis non revocandus agris.

---

34. *Quid nocet.*
——— Sed quid tentare nocebat? *Ovid. Metam.* 1. 597.

38. *Adhuc.*
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis.
Virg. Æneid. 6. *v.* 806.
Per ſi qua eſt, quæ reſtat adhuc mortalibus uſquam.
Idem. 1. *v.* 142.
Sanguine cernis adhuc, &c. *Idem.* 5. *v.* 413.

FABULA VI,

Cujus argumentum ex quinta Phædri Fabulâ, lib. 1. deſumptum eſt.

Vacca, Capella, Ovis & Leo.

JUNXERUNT fœdus capra, bucula, & agna ſorores,
Quique dabat ſilvis jura ſuperba, leo.
Commoda partiri placet atque incommoda: cervum
In laqueis reperit læta capella ſuis.
Fida vocat ſocios; vix advenêre: per ungues
Cœpit ritè ſuos tùm numerare leo.
Et ſic: ad prædam en quatuor convenimus unam;
Et totidem in partes dividit ille ferum.
Primam, inquit, tollo, quia rexque leoque ſalutor;
Litibus ambiguis hîc via nulla patet.

---

3. *Cervum in laqueis*, &c. Sunt qui contendunt nullam narrationem in pentametro poſſe ordiri: ſed legant verſus ſequentes Ovidii, *l.* 2. *Faſt.* 781.

Exitus in dubio eſt, audebimus ultima, dixit,
Viderit, audentes fors-ne, Deus-ne juvet.
Cepimus audendo Fabios quoque. Talia fatus,
Enſe latus cingit, tergaque preſſit equi, &c.

En narratio quæ incipit in hoc pentametro: enſe latus cingit, &c.

8. *Ferum.* Ferus aliquando quaſi ſubſtantivè ponitur.
Silva tùm excepit ferum. *Phædr.* 1. *f.* 12. *de Cervo.*
Aſinus ut vidit ferum impunè lædi. *Idem de Leone*, 1. *f.* 21.
Pectebatque ferum. *Virg.* 7. *Æneid. pariter de Cervo.*

9. *Quia.*
Ego primam tollo nominor quia leo. *Phædr. l.* 1. *f.* 5.
——— Illacrimabiles
Urgentur ignotique longâ
Nocte, carent quia vate ſacro. *Horat. l.* 4. *Od.* 8. *v.* 28.

Digitized by Google

Altera jure mea eſt: jus noſtis id eſſe potentûm.
Quòd plus fortis ego, tertia parta mihi eſt.
Veſtrûm ſi qua procax quartam vel tangere fidat,
Protinùs huic fauces, vindice dente, molam.

---

13. *Fidat*, i. e. auſit.

Ceu crudo fidat pugnam committere cæſtu. *Virg*, 5. *Æneid.*

14. *Molam*. Molere, eſt frangere & redigere in farinam. Molendum uſque in piſtrino *Ter. Phor*. 2. 1. 19. Eadem (frumenta) molere & conficere. *Plin*, 7. Edo libentiùs molitum. *Plaut. Menech*. 5. 6. 15.

FABULA VII.

Pera.

JUPPITER hæc quondam: lucem haurit quiſquis in orbe,
Nunc majeſtatem prodeat ante meam.
Fas impunè queri, cui non ſua forma placebit,
Mutare in melius dextera noſtra parat.
Simie, ſta coram; quanquam non ordine primus,
Primus fare; volo; nec mihi cauſa levis.
Quæ me circumſtant animantum conſpice turbam:
Exuperant-ne tuas dotibus illa ſuis?
Lætus ſorte datâ vivis? Quidni, ille reponit?
Quattuor ut reliquis ſunt mihi nonne pedes?
Me nihil effigies mea lædit; frater at urſus
Artus informes & rude corpus habet.
Si mihi quid credat, ſe pingier uſque vetabit.
Vix ita fatus erat, protinùs urſus adeſt.

---

1. *Lucem haurit.*
Cùm primùm lucem pecudes hauſêre virûmque
Ferrea progenies, &c. *Virg.* 2. *Georg.*

2. *Majeſtatem.*
——— Sentiat illa, (uxor Auguſti)
Te majeſtatem pertimuiſſe ſuam. *Ovid. de Pont. l.* 3. *Eleg.* 1.

4. *Mutare.*
In melius mutare locum. *Lucan. l.* 6.

6. *Cauſa levis.* Cauſa pro motivo agendi. Num parva cauſa, aut parva ratio eſt? *Ter. Eunuch.* 3. 5. 27. Non ſine cauſâ quid tibi placeat tam diligenter exquiro. *Cic. Attic. lib.* 13. *Epiſt.* 22 *de Varrone.*

10. *Quattuor ut reliquis.* Reliqui idem ſæpè ſunt ac cæteri, alii. Si unus omnibus reliquis magiſtratibus imperabit. *Cic.* 3. *de Leg.* 16.
Virro ſibi & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum ſolo paſcaris odore. *Juven. Sat.* 5.

13. *Pingier* pro *pingi.* Poetæ infinitivo verbi deponentis quan-

Ut caput horrendum ſpectant, atque hiſpida villis
Tergora, queſturam credere quiſque feram.
Imò non modicis effert ſua laudibus ora,
Mordacique petit ſic elephanta joco:
Creſcere cauda, olli decreſcere debeat auris;
Craſſior eſt moles, nullus in ore decor.
Quanquam elephas ſapiat, non eſt diverſa locutus;
Judice me, piſtrix eſt, ait, ampla nimis.
Deinde breves acari formica jocatur in artus,
Seque gigantei corporis eſſe canit.
Juppiter alternis ut ſe luſêre cavillis,
Cætera contentus, cedere quemque jubet.
Noſtra ſed ante alias major dementia: quiſque eſt
Talpa in ſe, inque pares lumina lyncis habet.

---

doque addunt ſyllabam *er*, metri causâ. Duplici ſpe utier. *Ter. Phorm.* 4. 2. 13.

Videntur labier. *Lucret.* 4. *l.*

——— Domos mercarier unus
Noram. *Horat.* 2. *l.* 3. *Sat.*

26. *Cætera contentus.* Id eſt contentus, quòd nullum ex animantibus de formâ ſibi à Jove datâ conqueſtum fuerit.

Non deſunt, qui aliter interpretentur hunc locum authoris gallici, *content d'eux*, in quorum gratiam ſic illum reddidi.

Alternis, alios alii ut riſêre beatos
Formâ omnes propriâ, juſſit abire Deus.

Sed ſi poſterior hic ſenſus eſſet verus Fontanii ſenſus, dixiſſet gallicè, *contents d'eux-mêmes*. Minimè verò, *content d'eux*

28. *Talpa.* Talpæ cæcitas & lyncis perſpicacitas apud latinos in proverbium abierunt. Hinc ortum illud adagium: cæcior talpâ. Hinc illa locutio: lynceis oculis contemplari, *pro* acutiſſimè perſpicere.

Adverte, quòd falsò talpa dicitur oculis carere; ſi quis enim prætentam detrahat membranulam, cernit talpæ ineſſe oculorum effigiem.

28. *In.* Sæpe idem eſt, ac ergà.

Accipit in Teucros animum mentemque benignam.
Virg. 1. *Æneid.*

Notus in fratres animi paterni. *Horat. l.* 2. *Od.* 2.

Nuſquàm aliis parcit, parcit ſibi ſemper: eodem
  Quo ſe oculo, fratres cernere nullus amat.
Quos nunc fert tellus, & quos tulit antè, ſupremo
  Impoſita eſt cunctis à Patre pera duplex;
Quamque aliena gravant vitia, hanc præ pectore poni
  Juſſit, & à tergo quam mala noſtra replent.

---

30. *Fratres.* Iſidorus, Hiſpalenſis Epiſcopus, qui in ſeptimo ſæculo vixit, viginti libris originum ſeu etymologiarum celebris 9. 6. oſtendit quatuor modis fratres dici poſſe; naturâ, gente, cognatione, affectu.

Horatius Romanos vocat fratres, *l.* 1. *Od.* 29.

  Eheu! cicatricum, & ſceleris pudet,

Fratrumque. i. e. Romanorum à Romanis in bello civili occiſorum.

32. *Pera duplex.*

  Peras impoſuit Jupiter nobis duas:
  Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit;
  Alienis antè pectus ſuſpendit gravem.
  Hinc videre mala noſtra non poſſumus. *Phædr. l.* 4. *f.* 9.

Mala noſtra, apud Phædrum, ut patet, ſunt vitia noſtra.

32. *Fert terra.*

  ——— Quales neque candidiores
  Terra tulit. *Horat. l.* 1. *Sat.* 5.
  ——— Hos utinam inter
  Heroas natum tellus me prima tuliſſet. *Idem*, *l.* 2. *Sat.* 4.

FABULA VIII.

Hirundo & Aviculæ.

MULTA uſu didicit, dùm regna pererrat, hirundo;
Quò quis plus vidit, plus meminiſſe poteſt.
Infidi hæc minimam pelagi prænoverat iram,
Et ſignum nautis, ante pericla, dabat.
Ruricolam, venit cum cannabis hora ſerendæ,
Mittere per ſulcos ſemina denſa, videt.
Auguror indè nihil fauſti, prudentior inquit,
Me, parvæ volucres, veſtra pericla movent.
Quippè ego, vel latebris, tanto in diſcrimine, condar,
Aut cita in amotas me feret ala plagas.
Cernitis agreſtem-ne manum ſe ferre per auras?
Illa dies aderit, nec procul illa dies,
Quâ veſtram parient, quæ ſpargit cumque, ruinam;
Hinc texet vobis gens inimica dolos:

---

1. *Didicit, dùm regna pererrat.* Familiare eſt Poetis jungere præteritum tempus cum præſenti.

Penè arſit, macros dùm turdos verſat in igne. *Hor.* 1. *Sat.* 5
Cætera dùm legio campis inſtructa moratur,
Ibant. *Virg.* 9. *Æneid.*

5. *Ruricolam.* Sæpè apud Poetas cum infinitivo duo accuſativi ſociantur, quorum alter regit verbum, alter ab eo regitur.

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes. *Virg.* 1. *Georg.*
Et mala me meritis ferre minora doles.
Ovid. 2. *de Ponto*, 6. *Epiſt.*
Jam pondus dices nomen habere meum. *Idem.* 3. 4. *Epiſt*

13. *Quâ veſtram.* Fortaſſe hìc me aliquis culpabit quòd ſenſum integrum in duobus verſiculis non concluſerim. Sed noverit, quæſo, me hìc Ovidii veſtigiis inſtitiſſe.

At quicunque nefas auſi, prohibente Deorum
Numine, polluerant pontificale caput,
Morte jacent meritâ. Teſtes eſtote Philippi. *Faſt. l.* 3. *v.* 706.

Digitized by Google

Hinc pedicæ venient; hinc artes mille nocendi;
Vos tandem carcer, mors vel acerba premet.
Ah! caveam vereor vel ahenum; hæc ergo comeſſe
Grana opus eſt; ſtat in hoc, credite, veſtra ſalus.
Conſilium volucres riſu ſprevêre procaci;
His præbebat ager pabula larga nimis.
Cannabe cum viridi ſe veſtiit undique tellus,
Indocilem turbam rurſus hirundo monet.
Eia, minutatim granorum evellite fetus;
Sin vos pernicies, ſpondeo, certa manet.

Hæ voces *morte jacent meritâ*, ut patet, ad pentametrum præcedentem pertinent: reperiuntur tamen in hexametro, qui proximè ſequitur En alterum exemplum, in quo ſenſus totus non finitur in diſticho.

Et quoniam fieri quod nunquam poſſe putavi,
Eſt tibi de rebus maxima cura meis,
Non eſt quod timeas. Fortuna miſerrima noſtra eſt.
Triſt. l. 1. *Eleg.* 11. *v.* 69.

Idem Ovid. *Heroid.* 1. *Epiſt.* ſcilicet eâ quam Penelope ſcribere fingitur ad Ulyſſem, *verſu* 37..

Omnia namque tuo ſenior, te quærere miſſo,
Rettulerat nato Neſtor, at ille mihi
Rettulit, & ferro Rheſumque Dolonàque cæſos,
Utque ſit hic ſomno proditus, iile dolo.

Nota quod verbum *rettulit* pertinet ad pentametrum antecedentem: tamen poſitum eſt ab Ovidio in hexametro ſubſequenti.

23. *Eia.* Sæpè eſt adverbium hortantis. Eia verò age dic. *Plaut. Epid.* 2. 2. 77.

Vos hinc mutatis diſcedite partibus: eia
Quid ſtatis? *Horat. l.* 1. *Sat.* 1,

23. *Fetus.* Eſt propriè partus, ſoboles animantium, undè Virgilius ait:

——— Binos alit ubere fetus. *Eglog.* 3.

Sed tranſlatè eſt id omne quod producitur à terrâ vel arboribus. Hinc Virgilius:

——— Fetu nemus omne graveſcit. 2. *Georg.*

Digitized

Nos verò egregium, clamant, vis munus obire!
Infelix vates, garrula, mentis inops;
Tanto inſudarent operæ ſi mille labori,
Turba repurgando vix ſatis eſſet agro.
Res in pejus eunt, maturâ cannabe, dixit
Augur avis, creſcit promptiùs herba nocens.
Hactenùs admonui fruſtrà; mihi credite tandem:
Cum paſſim tectam conſpicietis humum:
Cùm gens agreſtis ſegetum defuncta labore,
Aſſidua in minimas bella movebit aves;
Cùm pubem aligerum pedicis & glutine fallent,
Per varios deinceps ne volitate locos.
At ſervate focum, gentes vel adite remotas,
Notâ anati atque grui ruſticulæque viâ;
Trajicere at pelagus minimè & deſerta valetis,
Aut alias noſtro quærere more plagas.
Hinc veſtræ ſuperat genti ſpes una ſalutis:
Vos muro tacitas tuta latebra tegat.

Et
Arborei fetus. 1. *Georg.*

27. *Operæ.* Operas quoque, inquit Calepinus, dicimus perſonas, quæ aliquid faciunt.
——Accedas opera agro nona ſabino. *Horat. l.* 2. *Sat.* 7.
I. e. operarius nonus.
Confirmat operas ſuas Claudius. *Cic. Quinto fratri, l.* 2. *Ep.* 3

33. *Segetum labore.* Labores pacis ac belli. *Cic. Œcon.* 1.
——Militiæque labor. *Ovid. l.* 1. *Faſt.* 1.
Victa labore fugæ. *Idem. l.* 1. *Metam.*

39. *Minimè.*
Quod minimè reris. *Virg.* 6. *Æneid.*
Cum minimè credas, ut aves, denſiſſimus hoſtis
Advolat. *Ovid. l.* 5. *Triſt. Eleg.* 10.

41. *Superat* pro *ſupereſt.*
——Si de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſuperat? *Horat. Art. Poet.*
Ergò quod ſuperat, non eſt meliùs quo inſumere poſſis.
Idem. l. 2. *Sat.* 2

Digitized by Google

Penniger, ingrato feſſus ſermone, popellus
Confuſos querulâ voce dedêre ſonos,
Quales Æneadæ, quandò Caſſandra futuris
Infelix virgo, ſolveret ora malis.
Incidit in ſimiles ſimilis dementia caſus,
Plurima cannabeis retibus hæſit avis.
Unum id agit quivis, ſuadet quod amica cupido;
Nì mala contigerint, non mala certa putat.

---

43. *Popellus.* Diminutivè; *i. e.* parvus populus.
——— Oleum artocreaſque popello
Largior. *Perſ.* 6. *Sat.* *v.* 50.
——— Vendentem tunicato ſcuta popello. *Hor.* 1. *Ep.* 7.

Digitized by Google

FABULA IX.

Mus urbanus & Mus ruſticus.

AGRESTI urbanus muri mus dixit amanter:
Dulcia turdorum ſunt mihi fruſta domi.
Si vacat, hîc hodiè mecum conviva recumbe.
Nec mora: purpureo menſa tapete nitet.
Proh! gemini ut certant genium curare ſodales!
Splendida menſa dapum ſufficit omne genus.
Feſta ſed ecce aliquis turbat convivia, lautis
Dùm plenè ſe epulis lætus uterque beat.
Conclavis ſtrepuêre fores, jamque ocior euro
Aufugit urbanus, ſubſequiturque comes.
Compoſito ſtrepitu remeant; urbanus agreſti:
Mecum relliquias eia age carpe dapum.
Cœnavi ſat ego, pavitans ait incola ſilvæ:
Tu pete cras tugurî frondea tecta mei.
Quo tua, regifico luxu haud mea menſa ſuperbit,
At cœnam abrumpunt nulla pericla meam.
Appoſitis veſcor ſecurus; vana faceſſant
Gaudia, corrumpit quæ metus. Ergo vale.

---

2. *Turdorum.* Turdus ſignificat avem, quam gallicè vocamus *une grive.* Eâ voce uſi ſumus, quòd noſtri carminis metro non poterat accommodari vox, *avis milliaria*, quæ ſignificat *un ortolan.*

7. *Lautis.* Epulæ lautiores. *Stat.* 1. *Silv.* 6. Cœna lautiſſima *Plin.* 9. *Epiſt.* 17. Hoc ſalſum eſt, hoc aduſtum eſt, hoc lautum eſt parùm. *Ter. Adelp.* 3. 4. 60.

8. *Plenè*, *i. e.* perfectè, cumulatè.

Ut fortunatam plenè præſtantia vitam. *Horat.* 1. *Epiſt.* 11. Tacere plenè. *Plin.* 9. *Epiſt.* 26

17. *Faceſſant.* Hæc hinc faceſſat. *Ter. Phorm.* 4. 3. 30. Hinc faceſſas, *Plaut. Rud.* 4. 4. 18.

Digitized by Google

FABULA X,

Cujus argumentum ex primâ Phædri Fabulâ, lib. 1. deſumptum eſt.

Lupus & Agnus.

Huic melior cauſa eſt, cuicumque potentia major;
  Ne morer, exemplo rem mea muſa probat.
Æſtivam relevare ſitim vix cœperat agnus,
  Quà puris fugiens fons ſaliebat aquis.
Faucibus impaſtum ſiccis allexit eòdem
  Et lymphæ & prædæ dira cupido lupum.
Quæ te adigit turbare meos audacia potus?
  Mox pœnas, dixit latro, proterve, dabis.
Ah! parce iraſci, rex maxime, laniger inquit,
  Quo reſtinguo ſitim, reſpice, quæſo, vadum.
Te procul, inferior placidè mihi ducitur unda;
  Ergò tuos potus non ego turbo meis.

---

7. *Adigit.*

——— Tua triſtis imago
Sæpiùs occurrens hæc limina tendere adegit. *Virg.* 6. *Æneid.*

I. e. huc venire impulit.

7. *Potus.*

Qui potus, dubium, ſiſtat, alat ne famem.
Ovid. de Ponto, 1. 18.

11. *Unda.* Unda *pro* aquâ.

——— Potare canalibus undam. *Virg.* 3. *Georg.*

11. *Ducitur.* Ducere *pro* bibere.

Hîc innocentis pocula Lesbii
Duces ſub umbrâ. *Horat. lib.* 1. *Od.* 17.

Quin etiam multo duxiſti pocula luxu. *Propert. l.* 2. 9. 25.

Digitized by Google

Turbas tu ſanè noſtrum laticem, improbe, turbas,
Horrifico infrendens rettulit ore fera.
Quin antè hos menſes bis ſenos (ritè recordor)
Auſus es injuſtis me lacerare probris.
Quî, necdum natus, potuiſſem? laniger inquit;
Paſcit adhuc tenero me mea lacte parens.
Non tu. Ergò frater tuus. At nullus mihi frater.
Ergò aliquis conſors gentis amans-ve tuæ;
Nam mihi, vos rarò, veſtri dominique caneſque,
Parcitis: audivi. Noxa pianda modò.
Nec plura: innocuum ſpeluncam raptat in imam,
Hîc litem judex illicò dente ſecat.

---

15. *Ante hos.*
Ante hos ſex menſes maledixiſti mihi. *Phædr. l.* 1. *f.* 1.

18. *Tenero.*
Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intrò eſt.
Ovid. Nux. 95.

22. *Audivi.* i. *e.* Auditu accepi.
Audieras & fama fuit. *Virg.* 9. *Eglog.*
Vide 7. *Æneid.* 225.
Quo tamen audiero tempore, lætus ero.
Ovid. 4. *l. Triſt.* 3. *Eleg.*
———————— Audieras, cui
Rem Dî donarent, illi decedere pravam
Stultitiam. *Hor. l.* 2. *Epiſt.* 2.

22. *Noxa.* Sumitur pro peccatis levioribus & pro gravioribus. Hic in noxâ eſt, *i. e.* in culpâ. *Ter. Phorm.* 2. 1. 36.
Longa mora, eſt quantum noxæ ſit ubique repertum.
Ovid. 1. *Metam.*
Noxæ, i. *e.* criminis.

24. *Litem ſecat.*
Quo multæ magnæque ſecantur judice lites. *Hor.* 1. *Ep.* 16.

Digitized by Google

FABULA XI.

Homo & Imago ejus.

Ad Ducem Rupefucaldum.

Se ſine rivali quidam maleſanus amabat,
Formæ laude ratus vincere quemque ſuæ.
Omnibus à ſpeculis queritur ſibi falſa referri,
Stultitiâque nimis ſe beat ipſe ſuâ.
Sed tentat dulci ſors officioſa medelam
Morbo ferre, petat quoſlibet ille locos.
Huic ubivis monitorem offert, ſine voce loquacem;
Quem matrona omnis conſuluiſſe ſtudet.
Vir ſpeculum in loculis, ſpeculum fert femina zonâ;
Quæque domus ſpeculis, quæque taberna nitet.
Quid tùm Narciſſus? Veraci occurrere vitro
Plus æquo metuens, cedit ab urbe procul.
Alto ſe nemoris ſeceſſu condit; at illìc
Pellucens vitreo fonte canalis adeſt.
Se videt in lymphis; avertit lumina: vanam
Effigiem indignans credit adeſſe ſibi:
Exoſus laticem, tendit diſcedere; amæni
Captus amore loci, deſeruiſſe dolet.

2. *Ratus vincere* pro *ratus ſe vincere. Se* ſubaudiri poteſt,
Cogi poſſe negat. *Horat. lib.* 1. *Epiſt.* 2. *v.* 11.
Subauditur *ſe*.

7. *Ubivis*, i. e. in omnibus locis.
Non ubivis, coramve quibuſlibet. *Horat.* 1. *Sat.* 4.

11. *Quid tùm.*
——— Quid tùm? venêre frequentes. *Horat.* 2. *Sat.* 3.

17. *Exoſus.*
——— Fraudem & perjuria quondam
Cercopum exoſus. *Ovid.* 14. *Metam.*

Quò

Quò ſpectent mea dicta, ſatis liquet; alloquor omnes:
   Errorem hunc toto pectore quiſque fovet.
Scilicet humanæ eſt veriſſima mentis imago
   Demens ille, nimis qui placet ipſe ſibi.
Semper erunt aliena tibi deliria vitrum,
   Quo tua, nativo picta colore patent;
Egregius, morum dat qui documenta, libellus,
   Puro fonte nitens uſque canalis erit.

---

17. *Tendit* pro *conatur*.
——— Tendit divellere nodos. *Virg.* 2. *Æneid.*
25. *Egregius hic libellus* gallicè habet pro titulo, *Livre de Maximes morales, compoſé par le Duc de la Rochefoucauld.*

FABULA XII.

Gemini Dracones.

Austriaca, ottomanûm quondam legatus, in aulâ,
(Sic faſti memorant) talia verba dabat.
Teutonici regni cedunt, me judice, vires
Turcarum vaſti viribus imperii.
Germanus contrà, pendent à principe noſtro,
Quos penes, in populum regia jura, duces;
Denſam equitum turmis aciem, peditumque catervis
Suſtentare ſuo quilibet ære valent.
Turcicus at ſanæ mentis: me certa, viritim
Quot turmas valeant cogere, fama docet.
Si juvat, auſculta paulùm; rem quippè recordor,
Quæ, ſit vera licet, vix habitura fidem.
In tuto ſtabam, cum, me ſpectante, vepreta
Hydræ centenum trajicit ecce caput.
Mî vero gelidus viſu concreſcere ſanguis,
Turbent, credo, gravi nos leviora metu:
Terruit, haud nocuit monſtrum: non ulla patebat,
Quâ me hydræ corpus poſſet adire, via.
Dùm rem mente agito, ad vepres allabitur alter,
Cui caput eſt unum, caudaque multa, draco.

14. *Centenum caput* pro *centena capita.*
——— Centenâ arbore fluctum
Verberat. *Virg* 10. *Æneid.*
I. e. Centum remis ingentibus.
19. *Mente agito.*
Hæc ego cùm ſumptis agitarem mente libellis.
Ovid. 1. *Faſt.*
Maternâque ſacros agitabas mente triumphos.
Idem ad Liviam. v. 25.

Digitized by G

Rursùs ego trepidare: caput, dein corpus & agmen
Caudarum tranſit; nec vetat ullus obex.
Parti pars aditum dedit. Eſt, reor, anguis imago
Principis hicce mei, principis ille tui.

Nunc, quæ mente agitem, audite, i. e. quæ reputem. *Tit. Liv.*

21. *Agmen caudarum.* Agmen eſt propriè exercitus ambulans, ſed metaphoricè pro quâvis multitudine ſumitur.

——— Confertoque agmine cervi. *Virg. 3. Georg.*

——— Formicas vocat agmen
Graniferum. *Ovid. l. 7. Metam.*

Et

Atque ita correptum captivarum agmine matrum
Involat. *Idem, l. 13. Metam.*

23. *Anguis.* Eſt ſerpentis genus, vulgò notum. Angues, inquit Servius, aquarum ſunt, ſerpentes terrarum, dracones templorum: ſed hæc ſignificatio plerumque confunditur. *Virg. 2. Æneid. v.* 225. appellat dracones quos, verſu 204, angues vocaverat. *Idem.* 11. *Æneid.* quem, *v.* 75. dixerat draconem, *v.* 755. nominat ſerpentem. Ovid. loquens de dracone immenſæ magnitudinis, *l.* 3 *Metam.* eum vocat modò anguem, modò ſerpentem.

24. *Hicce.* Hicce, hæcce, hocce idem eſt, quod hic, hæc, hoc.

Non me feſellit hoſce id ſtruere. *Ter. Eunuch.* 2. 2. 26.
Hocce haud dubium eſt. *Andr.* 2. 3. 17.
Hiſce oculis egomet vidi. *Adelph* 3 2. 31.
— — — Pluribus hiſce. *Horat.* 1. *Sat.* 3.

FABULA XIII.

Latrones & Aſinus.

Sæva duos inter fervebat rixa latrones ;
  Rixæ cauſam , aſinus, quem rapuêre, dedit.
Hunc ſervare alter furit, alter vendere : creber
  In latus, in malas pugnus utrinque volat.
Tertius accurrit latro, defendere certant
  Vim vi dùm pugiles, arcadicumque rapit :
Interdùm miſera eſt provincia noſter aſellus,
  Bellanteſque refert raptor uterque duces ;
Tales turca ferox, ſævus gepida, hungarus acer.
  Pro geminis adſunt tres ſimul ecce mihi.
Hæc mâla merx ſat ubique frequens ; ſed nullus habere
  Viribus æquatis, oppida, ſæpè valet.

---

3. *Furit.*

Ecce furit te repirire atrox
Tydides. *Horat.* 1. *Od.* 13.

6. *Vim.* Vi vis illa defenditur, i. e. repellitur. *Cic. pro Milone.* Vim defendas. *Plaut. Rud.* 1. 4. 69.

6. *Arcadicum.* Aſini arcadici in Græciâ nobilitati. *Varr l.* 2. *cap.* 1.

——— Arcadiæ pecuaria rudere credas, *i. e.* aſinos. *Perſ.* 3. *Sat.*

11. *Merx.* Aliquandò metaphoricè ſumitur. Mala merx hera hæc & callida eſt. *Plaut in Ciſtell.* 4. 2. 60. Novi ego illas malas merces. *Idem in Caſſinâ.* Merx tu mala es. *Idem Perſ.* 2. 2. 88. Ætas mala merx eſt. *Idem Menech.* 5. 2. 6.

Digitized by Google

Accurrit quartus latro, litemque reſolvit,
   Victrici pecudem præripiendo manu.

---

14. *Præripiendo.* Ultimam hujus gerundii ſyllabam contraxi, exemplum ſecutus Juvenalis qui ſic habet. 3. *Sat.*

Plurimus hic æger moritur vigilando, ſed illum, &c.

Aufer & ipſe meum, pariter medicando, dolorem.

Tibul. l. 3. 6. *Eleg.*

Fortunam, vultus, faſſa, tegendo ſuos.

Ovid. Heroid. Epiſt. 9.

Tu quoque dùm rogitas, dùm percontando moraris.

Auſon. 12. *Epigram.*

FABULA XIV.

Cujus argumentum ex vigeſimâ ſecundâ Phædri Fabulâ, lib. 4. deſumptum eſt.

Simonides à Diis ſervatus.

NUMINA qui regem-ve ſuum vel cantat amicos,
Haud nimium laudis prodigus eſſe poteſt.
Carmine ſic docuit Malherbus; plaudo monenti:
Hi ſemper monitus commoda certa ferunt:
Demulcet tacitè laus mentem, & pectus ineſcat:
Principis hinc magni gratia ſæpè venit.
Accipe quæ merces à Divis reddita laudi.
Orſus erat pugili carmina Simonides.
Materiem at ſentit ſterilem ingratamque Camænis.
Area in eloquium non patet ampla ſatis.
Plebeius pugili pater ignotique propinqui,
Nec dotes heros, quæ celebrentur, habet.
Quæ potuit vates, pyctæ præconia fecit;
Mox alio excurrens tramite flexit iter.

---

1. Hæc Malherbi ſententia falſam Ethnicorum religionem redolet, cùm plures ſupponat Deos, aliundè adulatoribus favet, qui immodicis laudibus amicos vel ſuum principem ſæpè cumulant.

13. *Pyctæ.* Pycta, vel pyctes, græcè (πύκτης) ſignificat pugilem; hæc vox reperitur apud *Columel. Plin. Senec.*

Phedr. 4. l. 22. f. de Simonide loquens.

Simonides idem ille, de quo retculi,
Victoris laudem cuidam pyctæ ut ſcriberet
Certo condixit pretio.

13. *Præconia.*

Magna quidem rumor de te præconia fecit. *Ovid. 16. Epiſt.*

14. *Flexit iter.*

Flecte vias. *Martial. lib. 1. 71.*

Digitized by Google

Ledæos memorat fratres & numina tanta
    Evincit pyctis grande tuliſſe decus,
Quique per amborum pugnas & fortia geſta
    Claruerant, multa venditat arte locos.
Dimidiâ athletam ſiluit plus parte libelli,
    Dùm geminos celebrat pagina quæque Deos.
Aſt, ubi legit opus, pacti plus parte talenti
    Dimidiâ authorem fraudat & ipſe pugil:
Paulò liberiùs joculans, dein adjicit: herclè
    Nil addam, geminos cætera poſce Deos.
Sero ſole tamen venias, cœnabimus unà,
    Nobis læta epulis tempora noctis erunt;
Delectos curabo viros accumbere tecum,
    Quos conſanguinitas, quos mihi jungit amor.
Promittit vates: non debita præmia ſolùm,
    Sed meritam & laudem perdere fortè timet.
Vênit, diſcumbunt: agitant convivia, rident;
    Dùm ſiccant hilares pocula, ſervus adeſt.
Ante fores adſtant juvenes duo, dixit in aurem,
    Unum te cupidi viſere: tolle moras.
Exilit è menſâ vates, avidæque cohortis
    Dentibus intereà non datur ulla quies.
Ipſi aderant, modò quos cecinit, par nobile, fratres:
    Simonidi grates reddit uterque memor.

Flecte viam velis. *Virg.* 5. *Æneid.* 28.

31. *Agitant convivia.*

Nullus erechthidis fertur celebratior illo
Illuxiſſe dies. Agitant convivia patres. *Ovid.* 7. *Metam.*

Hic Donatus animadvertit, quod agere eſt aliquid vel neceſſarium facere; agitare eſt voluptarium.

Hoc agitemus convivium vino & ſermone ſuavi. *Plaut. Aſin.* v. 1. 7.

Domi agitent convivium. *Idem*, *Mil. Glor.* 2. 2. 10.

Effuge : tota modò, mercedem in carminis aiunt,
  Tecta ruent : verbis facta repentè fides.
Nempè columna labat, fulcroque lacunar adempto,
  Concidit in medias, mole trahente, dapes.
Attriti lances, cyathi, attritæque lagenæ ;
  Unà cum famulis obruta menſa jacet.
Nec ſatis : ut cumulata foret vindicta poëtæ,
  Effregit pugili crura ruina trabis,
Paſſim & convivas mancos claudoſque remiſit.
  Rem vulgat centum nuntia fama locis.
Quiſque, ô prodigium ! clamat, duplicique jubentur
  Munere donari carmina grata Deis.
Ingenuæ matris nullus non filius offert
  Dona, ſuos reſonet quo lyra cæa patres.

---

45. *Nec ſatis.*

Nec ſatis : extremas Corithi penetravit ad arces.

Virg. Æneid. 9.

45. *Cumulata.* Virtus cumulata & perfecta. *Cic. pro Sextio.* Cumulatior gloria. *Tit. Liv. l.* 2. 47.

48. *Centum.* Indefinitè pro pluribus nonnunquam accipitur à poëtis. Sic centum greges, apud *Horat. l.* 2. *od.* 13. Et centum juvenci, apud eundem. 14. *Epod.*

49. *Duplici.* Duplici ſpe utier. *Ter. Phorm.* 4. 2. 13.

——— Quem duplici panno patientia velat.

Horat. 1. *Epiſt.* 7.

50. *Deis.*

Hæc ſunt Lædeis templa dicata Deis. *Ovid.* 1. *Faſt.*

Dùm ſe deeſſe Deis, at non ſibi numina credit.

Lucan. Pharſ. l. 5.

——— Victima ſacra,

Tantis digna Deis. *Juvenal. Sat.* 12. *v.* 114.

52. *Lyra cæa.*

Cææ munera næniæ. *Hor. l.* 2. *od.* 1.

I. e. verſus lugubres Simonidis qui natus erat in Cæo, inſulâ propè Eubœam.

Cææque & alcæi minaces camœnæ. *Idem. l.* 4. *Od.* 7.

Illuc me refero, quà cœpi; tollere multâ
Parcat nemo Deos laude, Deis-ve pares.
Dein, ubi Melpomene felici pectine luſit,
Mercedem haud credat turpe rogare ſuam.
Inſuper & noſtræ laus arti debita: quando
Vatibus aula favet, fert decus ipſa ſibi.
Carus erat quondam ceu fratri Pindus Olympo,
Ceu fratri Pindo carus Olympus erat.

Digitized by Google

FABULA XV.

Mors & Homo infelix.

Auxilio mortem noctùque diùque vocabat
Ruſticus infelix: mors, ades, inquit, ades.
O mihi, quàm ridens, ô quàm mihi pulchra videris!
Queis crucior, finem pone, benigna, malis.
Præſtare officium ſe mors rata, limina pulſat,
Et ſubit: ora genis exhibet atra cavis.
Quid video? exclamat trepidus, quam lurida forma!
Monſtrum turpe oculis, ah! removete meis;
Horror tota mihi præcordia concutit: ô mors,
Te vidiſſe ſat eſt, ociùs eſto procul.
Mæcenas feſtivus erat: ſim debilis, inquit,
Sim podager, mancus, nil niſi truncus iners,

---

1. *Auxilio.*
Auxilioque vocare Deos. *Virg.* 5. *Æneid.*

5. *Præſtare officium.*
——— Cùm præſtem ſedula cunctis
Officium, ſaxis, officioſa, petor. *Ovid. Nux. v.* 12.

5. *Limina.* Limen per ſynecdochen ſæpè ſumitur pro januâ.
Forumque vitat & ſuperba civium
——— Potentiorum limina. *Hor. Epod.* 2.

6. *Subit.*
——— Regis ſubit ille penates. *I. e.* intrat. *Ovid.* 5. *Metam.*
Tecta ſubit. *Ibidem.*

7. *Forma.* Pro ſpecie nonnunquam dicitur.
Ignoti nova forma viri miſerandaque cultu. *Virg.* 3. *Æneid.*
Terribiles viſu formæ. *Idem* 6. *Æneid.*

11. *Feſtivus* pro *jucundo & lepido* O mî pater feſtiviſſime. *Ter.* 5. 9. 26. Homo feſtivus. *Cic.* 2. *de Oratore.* 153.

12. *Truncus iners.* Iners quandoque idem eſt ac motûs expers.

Digitized by Google

Vivere da tantùm ; mihi vivere gratia ſumma eſt.
Nuſquàm ô mors, venias : quiſque precatur idem.

Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim Corpora. *Virg.* 2 *Æneid.*

In medium ſeu ſtabit iners, ſeu profluet humor. 4. *Georg.* Stabit iners, i. *e.* ſtabit ſine motu.

Conſule Robertum-Stephanum qui in maximo ſuo dictionario hoc aſſert Ovidii exemplum. *Truncus iners jacui.*

FABULA XVI.

Mors & Lignator.

IBAT lignator ramis malè onuſtus & annis,
Delaſſata trahens membra labante gradu;
Pectore anhelanti curvum ſudare videres,
Fumoſam ut repetat, ſordida tecta, caſam
Succumbens oneri tandem fractuſque labore,
Seſe faſce levat, triſtia fata gemit;
Ex quo me peperit miſerum paupercula mater,
Affulſitne mihi læta vel una dies?
Nulla quies unquam, quandoque cibaria nulla:
Quis vitam in toto duriùs orbe trahit?
Dant cumulum ærumnis uxor cum prole, tributum,
Creditor & miles, gratuituſque labor.
Ergò vocat mortem: mors ſe mirata vocari
Advolat ad querulum; quam petis, inquit, opem?
Me tantùm, oro, juves, humeris ut ligna reponam;
Grande erit obſequium, nec tibi cauſa moræ.
Mors eſt certa malis queiſcumque medela; ſed illo
Nemo loco cedat, quo Deus eſſe dedit.

---

11. *Cumulum.*
——— Ultimus autem
Ærumnæ cumulus quòd, &c. *Juven.* 3. *Sat.*
Addit perfidiæ cumulum. *Ovid.* 11. *Metam.*

17. *Queiſcumque.* Seu quibuſlibet.
—Quæcumque (*i. e.* omnia) altaria tangunt *Juven.* 13. *Sat.*
Sed creſcunt quocumque modo, *i. e.* modo quovis.
Idem. 14. *Sat.*
Quâcumque ſummâ tradet luxuriæ domum, *i. e.* quâlibet ſummâ. *Phædr. l.* 4. *Fab.* 4.

18. *Loco cedat.*
Cedam loco, *i. e.* è loco recedam. *Phædr. l.* 1. *Fab.* 19.
Cedes coemptis ſaltibus. *Hor.* 2. *od.* 3.

Dura pati ſatius, quam ponere morte dolores :
Publica naturæ vox ea ſemper erit.

---

18. *Quo* pro *in quo.*

Quo res ſumma loco? *Virg.* 2. *Æneid.*

Quoque loco eſt vitis, de palmite gemma movetur.
Ovid. l. 3. *Triſt.* 12. *Eleg.*

Compoſitum quo ſit tempore, quoque loco. *Ib.* 14. *Eleg.*

19. *Ponere morte dolores.*

——— Poſiturus morte dolores. *Ovid.* 3. *Metam.*

FABULA VIII.

Cujus argumentum ex ſecundâ Phædri Fabulâ, lib. 2. deſumptum eſt.

Homo mediæ ætatis.

Vir mediæ ætatis, jam caneſcente capillo,
Quærendæ uxoris ſenſit adeſſe diem.
Congeſtis eſſet cùm plenior arca talentis,
Deligere in promptu, quam ſibi vellet, erat.
Quæque placere ſtudet, tamen hic properare negabat:
Nam benè ſortiri, non tenuis labor eſt.
At geminæ viduæ, deludi jure caventem
Ante omnes alias demeruêre virum:
Altera adhuc viridis, paulò hæc maturior ævi,
Formæ damna, manûs quæ reparabat ope.
Utraque dùm ludit, ridet, ſimul æmula geſtit
Illius incomptum compoſuiſſe caput:
Quos ſupereſſe videt nigros per tempora crines,
Solerti digito depopulatur anus.

---

1. *Caneſcente.* Caneſcere, eſt fieri canum.
——— Queritur caneſcere mitem
Jaſiona Ceres. *Ovid.* 9. *Metam.*

1. *Capillo.* Singularis pro plurali à poëtis eleganter adhibetur.
——— Fulvo protecta capillo. *Ovid.* 12. *Metam.*

9. *Maturior ævi.*
Hoc Elymus facit, hoc ævi maturus Aceſtes.
Virg. 5. *Æneid.* 73.

Junior & canos certat vaſtare viciſſim,
  Quò vir nempè ſibi gratior eſſe queat.
Albeſcenti adimunt capiti tot utrinque capillos,
  Nudâ ut fronte comis, ſentiat ille dolum.
Tam benè me tonſum, pulchellæ, gaudeo; veſtræ
  Plùs nobis proſunt, quam nocuêre, manus.
Nam ſit hymen procul: uſque ſuo me vivere vellet,
  More meo nuſquam, quæ mihi nupta foret.
Tempora noſtra pilis quanquam nudaſtis, amicæ,
  Grates, quòd me ſic commoneatis, agô.

---

15. *Viciſſim.*

——— Sic orſa viciſſim,
Ore refert. *Virg.* 7. *Æneid.* 435.

16. *Sibi.*

——— Atqui ſciebat (Regulus) quæ ſibi barbarus
Tortor pararet. *Hor.* 3. *Od.* 5.
Qui ſit Mæcenas, ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, &c. *Idem. l.* 1. *Sat.* 1.
——— Cùm ſibi ſint congeſta cibaria. *Ibid. v.* 32.

24. *Commoneatis.* Aliorum exempla commonent. *Ter. Andr.* 4. 5. 17. Mearum me miſeriarum commones. *Plaut Rud.* III. 4. 38.

Digitized

FABULA XVIII,

Cujus argumentum ex vigeſimâ-quintâ Phædri Fabulâ, lib. 1 deſumptum eſt.

Vulpes & Ciconia.

Vulpes (inviſit quam fortè ciconia) ſolvens
Arctum animum, hanc epulis accubuiſſe rogat.
Sordidiùs paulò cùm viveret hoſpes avara,
Plus æquo ſimplex parcaque menſa fuit.
In patinâ pultem liquidam parat: alitis ore
Prenſari oblongo guttula nulla poteſt.
Uno penè hauſtu totam vafra ſorbuit eſcam.
Poſt aliquot luces ſic avis ulta dolum eſt.
Invitat vulpem: veniam, hæc ait, utor amicis
Liberiùs; non eſt, bis prece cogar, opus.
Dictâ horâ, conviva memor properavit in ædes
Hoſpitis; urbanam magnificamque vocat.
Coctæ ritè dapes: obſonia prima miniſtrat
Eſuries; nunquam vulpibus illa deeſt.

---

1. *Solvens.*
Aſper & attentus quæſitis, ut tamen arctum
Solveret hoſpitiis animum. *Hor. l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 82.

I. e. avarus & attentè cuſtodiens res quæſitas, ita tamen, ut animum parcum laxaret ad hoſpitem benignè accipiendum.

2. *Epulis.*
— Tu das epulis accumbere divûm. *Virg.* 1. *Æneid.* 83.

8. *Luces.* Lux *pro* die.
— Multis lucibus (*i. e* diebus) antè. *Ovid.* 2. *de Ponto.*
Poſt luces ſeptem junius actus erit. *Idem. Faſt.* 4.
Sæculo feſtas referente luces. *Hor.* 4. *Od.* 5.

11. *Dictâ horâ.*
Rediit horâ dictâ. *Phædr. l.* 4. *Fab.* 24.

14. *Eſuries.* Ut ego miſererer ejus eſuriei, non ſum commotus. *Cic. l.* 8. *Epiſt.* 1.

Digitized by Google

Olfacit exultans conciſam in fruſtula carnem,
Indicat eximiam quam ſibi dulcis odor.
Spes deluſa tamen; cœnam vas fictile cepit:
Vas colli oblongi, perbrevis oris erat.
Inſerere huic roſtrum poterat peregrina volucris.
Conviva at formæ diſparis ora gerit.
Fruſtrà ubi lambiſſet circùmque ſupràque lagenam,
Cogitur heu! vacuo ventre redire domum;
Conſtrictâ hanc caudâ, demiſſâ turpiter aure,
Captam gallinæ dixeris eſſe dolo.
Fallere quiſquis amas, hæc ad te fabula ſpectat;
Invenies, reddat qui tibi jure vicem.

---

16. *Sibi.* Vide notam Fabulæ 17. v. 16.

18. *Oris.* Os metaphoricè aliquando ſumitur pro aperturâ quâcumque, ſeu pro eo omni quod in aliquâ re patet.

Intereà pleno turget cum ſacculus ore. *Juven.* 14. *Sat.*
Vaſcula oris anguſti. *Quintil. l.* 1. *cap.* 2.

19. *Peregrina.*

Peregrinam ſic locutam volucrem
Accepimus, *i. e.* ciconiam. *Phædr. l* 1. *Fab.* 26.

20. *Gerit.* Gerere *pro* habere.

Virginis os habitumque gerens. *Virg.* 1. *Æneid. v* 318.
——— Cum virginis ora geratis. *Ovid.* 5. *Metam.* 553.

20. *Ora.* Os *pro* roſtro.

——— Emiſit ore caſeum, i. *e.* roſtro.
Phædr. de corvo, l. 1. *Fab.* 13.
——— Et quem tenebat ore,
Dimiſit cibum. *Idem, de cane natante, Fab.* 4.

21. *Ubi.* Sæpè eſt adverbium temporis & ſignificat poſtquàm.

Quin ubi perire juſſus expiravero,
Nocturnus occurram furor. *Hor. Epod. Od.* 5.

25. *Spectat ad, i. e.* tendit, pertinet. Beneficia quæ ad ſingulos ſpectant & ad univerſos pertinent. *Cic.* 2. *Offic.* 72. Conſilium ejus ad bellum ſpectat. *Idem ad Attic. l.* 15.

Digitized by Google

FABULA XIX.

Puer & ludi Magiſter.

ADMONITUS vanos objurgatoris inepti,
  Carmine ſubjecto, muſa jocoſa refert.
Puſio Sequanici cùm luderet amnis ad oram,
  Fallente in medias eſt pede lapſus aquas.
Adfuit opportuna ſalix, quæ brachia pandens,
  Servat, ſervavit quem prior ipſe Deus.
Hæret dùm ſalici puer hàc tranſire magiſtrum
  Ut videt, ah! pereo, fer mihi, clamat, opem.
Tunc vultum obvertens graviori voce magiſter,
  Intempeſtivis hunc onerare probris:
Pumilio ah nugax! en, inquit, quæſo, videte,
  Hunc quò præcipitem mens maleſana tulit.
Tam ſtolidos jam ſit nebulones cura fovere;
  O miſeræ matres! ò miſerique patres!
Quàm doleo vos tanta pati, quibus uſque cavendum,
  Ne mala progenies in ſua damna ruat.
Sermone exhauſto, periturum eduxit ab undis.
  Plures, quàm credas, fabula noſtra petit;
Quiſquis erit ſtolidè doctor, cenſor-ve, loquax-ve,
  Se noſtro pictum carmine noſſe poteſt.
Cuique trium favit mira indulgentia cœli,
  Undique denſa adeò pullulat iſta ſeges;

---

1. *Objurgatoris.* Benevolos objurgatores. *Cicer.* 1. *de Nat. Deorum.* 5. Stilponis objurgator. *Senec. Epiſt.* 9.

2. *Subjecto.*

  Habent inſidias hominis blanditiæ mali,
  Quas ut vitemus, verſus ſubjecti monent.

Phædr. l. 1. *Fab.* 18.

Verſus ſubjecti, *i. e.* verſus infrà ſequentes.

Digitized

Hoc unum ſatagunt (urget quodcunque negotî)
Effundat multos ut ſua lingua ſonos.
Ah ! priùs, inſtanti me ſubtrahe, amice, periclo,
Dein fare, orator, quæ tibi cumque lubet.

---

24. *Effundat.*
Multaque in adverſos effudit verba penates.
Ovid. 1. *Triſt.* 3.

EABULA XX,

Cujus argumentum ex duo decimâ Phædri Fabulâ, lib. 3. deſumptum eſt.

Gallus & Gemma.

EFFODIT gallus furax adamanta, fabroque
Gemmarum, occurrit qui ſibi fortè, dedit.
Magni, credo, valet, milii ſed perleve granum
Fortunæ eſſet, ait, res magis apta meæ.
Hæres ſimplicior chartam eſt ſortitus, & illam
Vicino (quòd erat bibliopola) dedit.
Magni, credo, valet, minimus ſed nummulus, inquit,
Eſſet fortunæ res magis apta meæ.

---

6. *Quòd.* Conjunctio.
Dis te minorem quòd geris, imperas. *Horat. l.* 3. *Od.* 6.
Et
——— Ego ſi riſi quòd ineptus
Paſtillos Ruſillus olet. *L.* 1. *Sat.* 4.

7. *Nummulus.* Si judicium eſt, triginta homines ... nequiſſimos, nummulis acceptis, jus & fas omne delere. *Cic. ad Attic. l.* 1. *Epiſt.* 13. Tu ſi .... nummulorum aliquid expreſſeris, velim me facias certiorem. *Ibid.* 1. 19.

EABULA XXI,

Cujus argumentum ex decimâ-tertiâ Phædri Fabulâ, lib. 3. deſumptum eſt.

Apes & Fuci.

INDICAT artifices opus artis. Mella jacebant
In quercu, at nulli cognitus auctor erat.
Acres hæc fuci magno ſtridore repoſcunt;
Continuò fucis obſtitit agmen apum.
In jus procurrunt partes; ſedet arbitra veſpa;
Solvere ſed nodum res operoſa fuit.
Inſtar apum, teſtes aiunt, animalcula fuſca
Vidimus hos circùm ſæpè volare favos.
Sat longum his corpus, roſtra & muſſantia. Sed, quid?
Corpus idem fucis, par color, ala, ſonus.

---

1. *Artis opus.*

——— Meæ artis opus. *Ovid.* 1. *Faſt.*

Artis opus tantæ. *Idem*, *Metam.*

2. *In quercu.* Phædr. *l.* 3. *Fab.* 13. quam hîc imitatur Fontanius.

Apes in altâ quercu fecerant favos.

4. *Agmen.* Vide notam Fab. 12. hujus libri, v. 21.

5. *In jus.* Hor. 1. *Sat.* 7. De duobus rixantibus dicit:

——— Acres
In jus procurrunt, magnum ſpectaculum uterque.

9. *Roſtra.*

Spiculaque exacuunt roſtris. *Virg.* 4. *Georg. de apibus* 74.

9. *Muſſantia.*

—— Muſſantque oras & limina circùm. *Virg. ibid.* 188.

Muſſant, i. e. bombilant.

10. *Corpus idem.* Idem aliquandò pro ſimili ſumitur.

——— Ut ſibi quivis
Speret idem, ſudet multùm, fruſtràque laboret.
Hor. de arte poët.

Idem ego iſthuc facere poſſum. *Terent. Phor.* 4. 5. 14.

Inter utroſque anceps tantis ambagibus hæret
Veſpa, alios teſtes & nova ſigna petit.
Res magis ut liqueat, formicas agmine denſo
Scitatur. Lucis nil tamen indè venit.
Eia, precor, quorſum hæc? Pendens nos cauſa morantes
Sexto à menſe tenet, cautior inquit apis.
Stamus & ancipites, ceu litis origine primâ;
Putredo cœpit jam vitiare favos.
Quin tandem judex feſtinat? Nonne pudori eſt,
Nos hîc per tantas detinuiſſe moras?
Abſint tot vocum pugnæ, ambageſque dolique;
Jam fuci, jam nos aggrediamur opus.

---

14. *Lucis.*

Hæc meus argutis, ſi tu paterêre, libellis
Poneret in multâ luce videnda labor.
Ovid. l. 5. Triſt. Eleg. 9.

Intendunt in ea, quæ perſpicua ſunt, ut quantâ luce ea circumfuſa ſunt, poſſint agnoſcere.
Cic. l. 4. Acad. 46.

15. *Pendens.*

Et pendebat adhuc belli fortuna diuque.
Ovid. 8. Metam.

Dum pendet fortuna ducum.
Lucan.

I. e. ſuſpenſa eſt & incerta.

17. *Origine.*

Non alios, primâ naſcentis origine mundi,
Illuxiſſe dies.
Virg. 2. Georg.

18. *Vitiare.*

Eſtur ut occultâ vitiata putredine navis.
Ovid. 1. de Ponto.

Adverte, quod multi pro putredine legunt teredine.

Digitized by Google

Noſſe erit in promptu, dulces quis fingere ſuccos,
Partiri in cellas dædala tecta queat.
Hi renuêre, ſuam iſte labor quòd vinceret artem;
Sentit veſpa; favos tollere juſſit apes.
Sic cunctas utinàm vellet componere lites,
Turcarum & morem Gallia noſtra ſequi.
Communis ſenſus numeroſa volumina juris
Suppleret, hec tot ſumptibus eſſet opus.
At nos prædatur cunctando turba forenſis,
Devorat & ſolers, quidquid habemus opum.
Poſt longam litem, vacuas actorque reuſque
Accipiunt conchas, oſtrea prætor habet.

---

23. *Dulces ſuccos.* Dulcis ſuccus eſt ipſum mel. Cellæ verò, ſunt cera, ſeu favorum cavernæ, quæ mel continent.

——— O dulcior illo
Melle, quod in ceris attica ponit apis.
Ovid. l. 5. Triſt. 5. Eleg.

——— Aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Virg. 4. Georg.

I. e. Cellas implent melle, quod metaphoricè nectar vocatur.

24. *Dædala tecta.*

Grandævis (apibus) munire favos & dædala fingere tecta.
Virg. de apibus 4. Georg.

I. e. Tecta artificioſa & ingenioſa, quæ Dædali artem imitentur.

32. *Devorat.* Devorare propriè eſt cibum non guſtatum deglutire, metaphoricè ad alia transfertur, ut devorare pecuniam, pro conſumere. Devorare omnem pecuniam non dubitavit. *Cic. in Verr.* 177.

33. *Actorque reuſque.* Actor apud Juriſconſultos eſt ille qui actionem in judicio intendit. Reus eſt ille qui in litem adducitur, etiamſi nihil admiſerit.

Digitized by

FABULA XXII.

Quercus & Arundo.

Affata eſt humilem cannam ſic ardua quercus:
Naturam immitem jure vocare potes.
Si fors inſideat levior tibi regulus, eheu!
Immenſo veluti pondere preſſa gemis.
Si lævem minimus faciem corruget aquarum
Ventulus, inclinas debile victa caput.
Dùm mea Caucaſiæ rupi frons æqua, retundit
Ignivomum ſolem, fulmineumque notum.
Eſt immanè fremens aquilo tibi quælibet aura,
Eſt mollis zephyrus quæque procella, mihi.
Saltem, ſi patulo fueris ſub tegmine nata,
Quâ mea vicinos protegit umbra locos;
Nulla procellarum metuens ludibria, ducas,
Vindice me, lætos inviolata dies.
Aſt humente ſolo naſci plerumque ſoletis,
Imperium corus, quà truculentus habet.

---

5. *Corruget.* Corrugare eſt in rugas contrahere; ut corrugare frontem, apud Plautum, quod ſolent, qui ſunt triſtes.

——— Ne ſordida mappa
Corruget nares. *Horat.* 1. *Epiſt.* 5.

7. *Retundit.* Iſter puer retundit Antonium, *i. e.* reprimit. *Cic.* 16. *Epiſt.* 14.

Satis retudi ſuperbiam. *Phædr. l.* 4. *Fab.* 23.

16. *Corus.* Eſt ventus maximè procelloſus, qui ab occaſu ſolſtitiali ſpirat; frigidus eſt, quia ad ſeptentrionales ventos ſitu proximè accedit.

O.

Digitized by Google

O mihi quam genio tu nata videris iniquo!
Deſierat quercus; talia canna refert:
Hæc tua te pietas nimis arguit eſſe benignam:
A te, quæſo, tamen cura ſit iſta procul.
Flector, non frangor. Quam rides ergò notorum,
Vis metuenda tibi, non metuenda mihi.
Hactenùs immanes contra inconcuſſa ſtetiſti
Ventorum furias: finis at ecquis erit?
Dixit: Ab axe ſimul boreæ volat horrida proles;
Non parem hyperboreus miſerat antè polus.
Demittit leve collum arbuſcula; mole ſuâ ſtat.
Arbos, trux aquilo vim geminare ſuam.
Sic tandem quatit, ut ſubigat ſternatque ſuperbam,
Quæ pede tangebat tartara, fronte polum.

---

17. *O mihi*, &c. Vide notam 3. Fab. 6. hujus libri.
18. *Deſierat.*
—— Deſierat (ſupple loqui) nec longa ſilentia feci.
Ovid. 1. *Faſt.*
Deſierat, cœpi. *Idem.* 4. *Faſt.*

Finis Libri primi.

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER SECUNDUS.

FABULA PRIMA.

In cenſores difficillimos.

Si, quas Calliope lectis promiſit amicis,
  Has mihi naſcenti larga dediſſet opes,
Æſopi canerem mendacia ſola; fuêre
  Carmina mendacis ſemper amica joci.
At nondum merui tantos Heliconis amores,
  Addat fabellis ut mea muſa decus.

5. *Amores* pro *amorem*.
Multaque, ut excuteret diros, ſi poſſet, amores;
Addidit. *Ovid. Metam. lib.* 10. *v.* 426.
Bacche, fidem præſta, nec præſer amoribus, ullam
Conjugis. *Idem, Faſt. lib.* 3. *v.* 497.

Digitized by Google

ornare quidem poſſunt figmenta poëtæ;
ſento: perficiat doctior alter opus.
ctenùs induxi tamen agniculumque lupumque:
Colloquii inſolitas miſcet uterque vices.
nnis quin arbos novit, me docta magiſtro,
Omnis & humanos edere planta ſonos.
iis non hæc lepidæ ſtupeat miracula muſæ,
Vimque meis magicam cantibus eſſe neget?
mpè aliquot, cenſor dicet queribundus, aniles
Magniloquo nugas turgidus ore canis.
oroſe ô cenſor! grandi nùm digna cothurno
Carmina, nùm faſtis prodita facta rogas?
ec lege. Defeſſi circum altæ mœnia Trojæ,
r denas hiemes, bello contendere Graii,
ribus attritis nequicquam & pectore fracto,
oſt mille aſſultus, mille artes, prælia centum,
aud arces æquare ſolo potuêre ſuperbas.
ventus mirâ cùm ligneus arte Minervæ
ndem equus, immenſæ curvis compagibus alvi
ydidem impavidum, cautumque excepit Ulyſſem,
acemque manu promptum, denſaſque phalanges,
rtentoſa viros ut, voti nomine, moles
mediam inferret, diviſis mœnibus, urbem.
Trojam Trojæque Deos, miſerabile dictu,
golico prædam daret exitioſa furori:
ıus qualem in toto nuſquàm ſol viderat orbe:

---

6. *Magniloquo.*
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore.
Ovid. 8. Metam.

9. *Defeſſi.* Ego ſum defeſſus reperire, vos defeſſi quærere.
ut. *Epidic.* 5. 2. 55.

Aſſultus.
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, & variis aſſultibus irritus urget.
Virg. 5. Æneid.

Quæ tamen artificum clades & damna ſuorum,
Atque exantlatos conſtanti marte labores,
Penſavit nimiùm lacrymoſo funere Trojæ.
Dixerit hìc aliquis : ſententia longior æquo eſt.
  Deſine : nos tædet, vox & anhela tibi.
Deindè tui heroes, miſſæque in bella phalanges,
  Votivâ & coſtas abjete textus equus,
Vero ſunt aliena magis, quàm ſubdola vulpes,
  Quæ fictâ corvum blandula laude capit ;
Prætereàque tubâ te dedecet alta ſonare.
  Eſto : lubens calamo jam leviora canam.
Poſcebat votis Amaryllis fida Menalcam,
  Dùm teſtes ſolas cum cane credit oves.
Hanc ubi conſpexit, furtìm inter opaca ſalicta
  Adrepens Tyrſis, fronde tegente, latet.
Ipſam audit zephyros dulces ſic voce precantem ;
  Abſentem ad ſponſum ferte meos gemitus.
Siſte, exclamabit cenſor ; vox ultima lædit
  Aures, & nervis atque lepore caret.
Hunc, quem cudiſti verſum rudiore camœnâ,
  Præpes ad incudem tu, mihi crede, refer.
Deteſtate Deis cenſor, nunquamne ſilebis ?
  Fabula an abſolvi, quæ mihi cœpta, nequit ?
Difficilis certè labor & diſcrimine plenus
  Eniti votis dicere digna tuis.
Væ, qui judicio faſtidit cuncta ſuperbo :
  Res auri teneræ nulla placere poteſt.

---

36. *Sententia.*
Eſt brevitate opus, ut currat ſententia, ne ſe
Impediat verbis laſſas onerantibus aures. *Hor.* 1. *Sat.* 10.
59. *Teneræ.*
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? *Perſ.* 1. *Sat.* 104.
Teneras, *i. e.* delicatas.

Digitized by Google

FABULA II.

Conſilium à Muribus habitum.

NSIGNIS quondam, Rapilardus nomine, feles
Tetro in murinum ſæviit ore genus.
illibus è multis eſt jam propè nemo ſuperſtes.
Millia tot tumulo condidit hoſtis atrox!
lliquiæ generis metuunt dùm linquere tecta,
Vix minima occurrit quæ levet eſca famem.
c felem infandas tot ſtrages edere, at orco
Miſſam Tyſiphonem gens miſeranda putat.
rtè novam cupidus thalamo ſibi jungere ſponſam,
Diſſita prædo vagus ſummaque tecta petit.
n nuptâ celebrat dùm bacchanalia, mures
Qui ſuperant, tuto cœtum habuêre loco.
m quem commendat prudentia ſumma, decanus
Aſſurgit, tales edit & ore ſonos:
ſque morâ crotalum Rapilardi appendere collo
Expedit, adventum prodat ut ipſe ſuum.

. *Relliquiæ.* Quàm gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias are video, vivere etiam nunc lubet. *Ter. Adelp.* 3. 4. 81.
. *Sponſam.*
Flebilis ſponſæ juvenem-ve raptum
Plorat. *Horat. l.* 4. *Od.* 1.
——— Non ſponſæ præcepta furentis
Audierat. *Virg.* 2. *Æneid.* 9.
1. *Nuptâ* pro *uxore.*
Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni.
Ovid. Triſt. l. 4. *Eleg.* 5.
——— Nupta pudica *Idem.* 2. *Faſt.*
2. *Cœtum habuêre.* Quem (Pythagoram) in ultimâ Italiæ, circa Metapontum... juvenum æmulantium ſtudia, cœtus uiſſe conſtat. *Liv.* 1. 18.

Nos petet ut bello, ſtrepitu moniti antra petemus;
  Hæc noſtris ſupereſt una medela malis.
Aſſenſêre omnes ſeniori: poſſe fatentur
  Vitari nullâ certiùs arte necem.
Nectere ſed crotalum labor eſt: tùm cautior unus,
  Hoc alius tentet; non ita ſtultus ego.
Nec tam dexter ego, pavido vultu excipit alter;
  Re ſic infectâ, quiſque redire domum.
O quoties noſtro pariter conſpeximus ævo
  Solemnes cœtus expediiſſe nihil.
Nec mures aderant, ſed turba adoperta cucullis:
  Quin & de canonum nomine dicta cohors.
Conſulto ſit opus, linguâ te mille juvabunt;
  At ſit opus facto, jam tibi nullus adeſt.

---

28. *Canonum.* Vox *canon* tria ſignificat. 1. regulam. 2. reditum annuum, qui canonicis eſt aſſignatus. 3. catalogum.

Yvo Cornotenſis aſſerit canonicos ita appellari, quòd canonicas regulas arctiùs obſervare tenerentur; Dominus verò de Marca, quòd in canonem ſeu matriculam eccleſiæ eſſent relati.

28. *Cohors.* Eſt propriè militum manus; ſumitur latiùs pro congregatione quorumcumque hominum.

Quid ſtudioſa cohors operum ſtruit? *Hor. 3. Epiſt. 6.*

——— Famulamque cohortem. *Stat. 11. Theb.*

Dimiſſus è cohorte amicorum. *Sueton. in Neronem, cap. 5.*

FABULA III,

Cujus argumentum ex decimâ Phædri Fabulâ, lib. I. deſumptum eſt.

Lupus & Vulpes, Simio judice.

Vicinos querulis implebat vocibus agros,
  Dùm ſibi rapta dolet prandia opima lupus.
In jus ergò vocat furti de crimine vulpem,
  Suſpectam meritò quam mala vita facit.
Simius his judex, non res commiſſa patronis;
  At cauſam alternis egit uterque ſuam.
Patrum etſi faſtos evolvat ſimius omnes,
  Non Themidi incubuit tam gravis antè labor.
Sublimis ſolio judex, meditando, cerebrum
  Sic torquet, toto ſudor ut ore fluat.
Objiciunt, inſtant, urgent, reſponſa refellunt,
  Alternâ reboans curia voce fremit.
Arbiter ut technas amborum ſentit, amici,
  Egregiè novi vos, neque nuper, ait.
Solvite mulctam ambo; es, vulpes, furata, repoſcit
  Quæ lupus, & repetis nōn tibi rapta, lupe.

---

1. *Implebat dùm dolet.*

Vide notam primam fabulæ octavæ libri primi.

13. *Technas.* Techna oritur à voce græcâ (τέχνη) & propriè ſignificat artem, induſtriam; metaphoricè, dolum & fraudem artificioſam.

Falli te ſinas technis per ſervulum. *Ter. Heaut.* III. 1. 60.

Parmenionis tàm ſcio eſſe hanc technam, quàm me vivere. *Idem, Eunuch.* 4. 4. 50.

15. *Es, vulpes, furata.*

Digitized by Google

Jure vel immeritò damnat quicumque ſceleſtum;
Non errat : ſenſus judicis iſte fuit.

Tu non videris perdidiſſe quod petis :
Te credo ſubripuiſſe, quod pulchrè negas. *Phædr.*

FABULA IV,

ujus argumentum ex vigeſimâ-nonâ Phædri Fabulâ, lib. 1. deſumptum eſt.

Duo Tauri & Rana.

CERTABANT tauri duo, cui ſors viſque juvencam,
Imperium & vaſti ruris habere darent.
nc rana ingemuit graviter; ſtupefacta ſororum
Una coaxantûm, dic, ait, undè doles.
n' latet, hæc dixit, mala nobis quanta parentur?
Alter poſt pugnam turpiùs exul erit.
lum victor aget procul à florentibus agris,
Nec deindè in pratis regna tenere ſinet;

. *Cui* pro *utri*. Licèt *uter* vulgò adhibeatur, ubi agitur de
bus, poteſt tamen adhiberi *quis*.
——— Simili quæſivit modo,
Quis major eſſet; *ſubauditur*, ipſa an bos.
Phædr. l. 4. f. 24 de ranâ.
Formica & muſca contendebant acriter
Quæ (*i. e.* utra) pluris eſſet. *Idem. l. 4. f. 21.*

. *Undè*, *i. e. ob quam cauſam.*
——— Undè (*i. e.* cur)
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes? *Juven. Sat. 2.*

. *Ten'* pro *te-ne*. Ita *Hor. l. 1. Sat. 10.*
Men' moveat (pro *me-ne moveat*) Cimex Pantilius.

. *Regna.*
Patruo regna tenente ſuo. *Ovid. 2. Faſt.*
t
Nupta Jovi fratri tertia regna tenet. 4. *Faſt.*

. *Deindè* pro *poſteà.*

Stagna petet profugus, dabit ulvæ jura paluſtri,
Et liquidæ invadet vitrea tecta domûs.
Actum de ranis. Nunc has, nunc obteret illas,
Proculcans duro bellua terra pede.
Quam movit pugnam ſpectandæ forma juvencæ,
Hanc proprio noſtrûm quæque cruore luet.
Provida non vanos finxit ſibi rana timores.
E tauris alter vertere terga retrò ;
Limosâ latebras dùm quærit ſede, per horam
Centum ſtagnicolas, calce premente, necat.
Quidquid delirant vanâ ambitione potentes,
Uſque piat damnis infima turba ſuis.

---

10. *Vitrea*, i. e. *perlucida.*

—— Erat Indus Athis, quem flumine Gange
Edita Limniace, vitreis peperiſſe ſub undis
Creditur. *Ovid.* 5. *Metam.* v. 48.

11. *Obteret.*

Et proculcatas (ranas) obteret duro pede. *Phædr. ibid.*

14. *Luet.* Verreſne tibi tanti fuit, ut ejus libidinem, hominum innocentium ſanguine lui velles ? *i. e.* expurgari & expiari. *Cic.* 3. *Verr.*

FABULA V,

Veſpertilio & duæ Muſtelæ.

[I]MPETE præcipiti dùm veſpertilio fertur,
Muſtelæ in nidum ſe malecautus agit.
[H]æc vetus in mures odium alto pectore ſervans,
Advolat, immiti quò ferat ore necem.
[Q]uid ? Tua gens toties mihi cùm ſit adorta nocere,
Tu tamen ante oculos auſus adeſſe meos!
[D]ic agedum: nonne es murino ſanguine cretus?
Vocibus ambiguis ne mihi vera tege.
[C]redo equidem mus es, vel jam muſtela negabor.
Parce, miſellus ait, non mihi tale genus.
[M]us ego? Lingua tibi murem me dixit iniqua;
Gratia Dîs, mater me mea fecit avem.

---

5. *Adorta.* Adoriri *pro* conari.
Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.
Virg. 6. Æneid. 397.
Ne convellere adoriamur ea, quæ non poſſunt commoveri.
[C]ic. 2. *de Orat.* 205.
6. *Ante oculos.*
Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit. *Virg.* 1. *Æneid.*
Ut tandem ante oculos evaſit & ora parentum,
Concidit. *Idem.* 2. *Æneid.*
9. *Credo equidem.*
Credo equidem nec vana fides *Virg.* 4. *Æneid.*
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.
Idem. 6. *Æneid.*
11. *Murem me dixit.*
——— Me quoque dicunt
Vatem paſtores. *Virg. Eglog.* 3. *v.* 33.
12. *Gratia Dîs.*
Gratia Dîs, Dominæque tuæ. *Ovid.* 1. *Faſt.*
Gratia, muſa, tibi. *Idem. l.* 4. *Triſt.* 10.
Gratia magna Jovi. *Tibul. l.* 1. *Eleg.* 4.

Si mihi nil credis, pennas en aſpice; vivant
Queis ſecat aerias mobilis ala plagas.
Credita res, adeò cauſam feliciter egit;
Inque ſua illæſo tecta redire datur.
Poſt paulò alterius ruit inconſultus in antrum
Muſtelæ, aligeri quæ gregis hoſtis erat.
Hic nova cauſa metûs: longo domina ore parabat
Huic, tanquam volucri, deproperare necem.
Me volucrem! tantum procul à me dedecus abſit,
Non advertis. Avem quid, niſi pluma, facit?
Nobile duco genus murino ſanguine; mures
Vivite; vos, feles, deleat ira Jovis.
Sic hoſtes geminos, geminatâ fraude fefellit,
Bis vitam ſolers expediiſſe ſuam.
Plurimus immutat dùm belli inſignia, ſæpè
Eluſit ſimili magna pericla dolo.
Vivat Tarquinius, vivat Reſpublica, dicit
Aſtutus vir, ubi res-ve locus-ve petunt.

---

15. *Credita res.*
Credita res, captique dolis. *Virg.* 2. *Æneid.*

19. *Domina*, *i. e.* quæ domui præeſt ſeu domûs imperium habet. Signum eſt dominam eſſe extra noxiam. *Ter. Heaut.* 2. 3. & *Ibid.* 4. 1. 15.
Credit enim ipſius dominæ ſe voce moneri. *Juven.* 6 *Sat.*

27. *Plurimus* pro *pluribus* ponitur.
Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicit equis Argos. *Horat. l.* 2. *Od.* 7.

30. *Aſtutus vir.* Hominem de quo agitur, non ſapientem, ſed aſtutum voco; qui enim eſt fallax & bilinguis, non mihi videtur ſapere. Si quis contrà ſentiat, meminerit ſacri hujus effati, quod protulit divinus Spiritus: Os bilingue deteſtor. *Prov. cap.* 8. *verſ.* 13. & *Eccleſiaſtici cap.* 7. *verſ.* 14. Noli velle mentiri omne mendacium.

Digitized by Google

FABULA VI,

Volucris telo ſauciata.

Ictu lethifero pennatæ fixa ſagittæ,
  Triſtia flebiliter fata dolebat avis.
Ergòne, clamabat gemino cruciata dolore,
  Sufficere in propriam cogimur arma necem ?
E noſtris, fera gens, homines, id vellitis alis,
  In noſtrum undè genus mors volitare queat.
Parcite ſed nobis illudere, ferrea corda ;
  Sæpè premunt paribus vos quoque fata malis.
Uni Japetidum parti pars altera ſemper
  Tela miniſtrabit, tela nociva ſibi.

---

1. *Fixa.*
   Telis fixa meis. *Ovid.* 3. *de Ponto*, *v.* 80.
   Hunc puer imprudens jaculo Cypariſſus acuto
   Fixit. *Idem*, *Metam.* 10.

5. *Id.*
   Verum id quod tutè, &c. *Virg. Eglog.* 3.
   Id curant venti. *Idem*, *Georg.* 2.
   Id metuens. *Idem*, *Æneid.* 1.

6. *Undè* pro *ex quâ re*, vel *perſonâ.* Nec erat, undè ſtudioſi ſcire poſſent. *Cic.* 1. *Acad.* 8. Quaſi jam divinantem id quod evenit, illo extincto fore, undè diſcerem, neminem. *Idem*, *de Seneſt.*

9. *Japetidum.*
   Tu quoque, Japetide, non hos adhibendus in uſus.
   Ovid. l. 5. *Metam.*

FABULA VII,

Cujus argumentum ex decimâ-octavâ Phædri Fabulâ, lib. 1. deſumptum eſt.

Canis parturiens.

Plena canem urgerent cùm partûs tempora, ſedem
 Quærebat, poni quâ grave poſſet onus.
Promiſſis tandem precibuſque exorat amicam
 Commodet ad paucos ut ſua tecta dies.
Hîc ergò latitat; poſthinc vicina repoſcit
 Quos dedit utendos officioſa lares.
Hoſpes ait: luces ter quinas adjice; proles
 Vix graditur tenero non benè nixa pede.

---

1. *Plena.*

Si tener pleno cadit hædus anno. *Horat. l.* 3. *Od.* 18.
——— Plenis nubilis annis. *Virg.* 7. *Æneid.* 53.

2. *Plena canem, &c.*

Canis parturiens cùm rogaſſet alteram,
Ut fetum in ejus tugurio deponeret,
Facilè impetravit; dein repoſcenti locum
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dùm firmiores poſſet catulos ducere.
Phædr. Fab. 18. *l.* 1.

3. *Exorat.* Exorare idem eſt ac orando perſuadere. Me frater exoravit, ut huc venirem. *Cic. de Orat.* 14. Sine te exorem; (*I. e.* perſuadeam, ut illud à te impetrem.) *Ter. Heaut. v.* 5. 5.

Exorant magnos carmina ſæpè Deos. *Ovid. l.* 2. *Triſt.*

5. *Poſthinc* pro *deinceps.*

Poſthinc digreſſus. *Virg.* 3 *Georg.*
Poſthinc ad naves graditur. *Idem*, 8. *Æneid.*

6. *Dedit utendos.* Scyphos, quos utendos dedi Philodamo, retulit-ne? *Plaut. Aſin.* 2. 4. 36.

7. *Luces* pro *diebus.* Vide notam Fab. 18. lib. 1. v. 8.

ıpetrat; elapſo ſed tempore, adurget amica
Ut ſibi tecta, larem, reſtituatque torum.
κerit hæc dentes; catulis nam ſentit ineſſe
Jam fortes animos, membraque firma ſatis.
ſeque meoſque foras ſi tu detrudere poſſis,
Non renuemus, ait, deſeruiſſe domum.
ıbula ſimplicibus proſit, nimiùmque benignis;
Quæ des cumque malis, illa dediſſe piget.
i, quæ credideris bona, dein extundere tentes,
Te lites, pugnæ, verbera multa manent.
ens ſemel illa pedes, ſine, quem colis, inferat agro:
Mox perjura, ſibi vindicat omne ſolum.

---

17. *Extundere.* Id extudi. (*I. e.* extorſi.) *Plaut. Moſtel.* 1. . 64. Ea demùm extudit, magis convicio quàm precibus. *Suet. 'eſp. cap.* 2.

FABULA VIII.

Aquila & Scarabæus.

CURREBAT præceps ad nota cuniculus antra,
Acriter inſectans quem Jovis ales agit.
Offert ſe profugo ſcarabæi concava ſedes;
Nil ego, nùm fuerit tuta latebra, moror;
At quæ tuta magis? Seſe tremebundus in illam
Conjicit; hoſpitium non remoratur avem.
Hoſpitis at ſortem miſerans ſcarabæus iniquam,
Se ſupplex aquilæ projicit ante pedes:
Iſtum infelicem, fateor, regina volantûm,
Tollere, nequicquam me renuente, potes.
At ne, quæſo, mihi, ne tam grave dedecus infer.
Ut vitam innocuus te roget, ipſa vide.
Vicinus meus ille, meus ſimul ille ſodalis:
Illum, oro, ſerva, da vel utrumque neci.
Reſponſum precibus dare non dignata volucris,
Pennæ ictu valido, ſupplicis ora ferit.
Obturbat mentem, attonitum cogitque ſilere;
Hoſpitem & armigero protinùs ungue rapit.
Ad volucris nidum ſcarabæus provolat ultor,
Carnificem quandò ſenſit abeſſe procul;
Conterit ova, furens, aquilæ ova tenellula, prolis
Spem blandam, nullum ſoſpes ab hoſte manet.

---

5. *Tremebundus.*
— A primâ tremebundus luce ſalutat. *Mart. l. 9. Epigr. 94.*
——— Tremebunda videt pulſare cruentum
Membra ſolum. *Ovid. 4. Metam.*
Ipſe rotis gemit intùs ager, tremebundaque pulſu
Nutat humus. *Valer. 6. Argon. 163.*

oſt paulò rediit mater, cladem aſpicit amens,
Queſtibus inſolitis arva nemuſque replet.
Quem tamen incuſet, cui damnis damna rependat,
Neſcit; & in rabiem vertitur indè dolor.
amenta ingeminat, vanas rapit aura querelas:
Lugere hoc anno cogitur orba parens.
eindè novo zephyros anno revocante, cubile
Collocat, excelſus quà magè rupis apex.
em detexit ubi ſcarabæus, tempora captat,
Haud leviter nidum ſuccutit; ova ruunt.
ta tuam cædes iterùm ulta, cunicule, cædem:
Æſtuat oſſa aquilæ lapſus ad ima dolor;
linc aſſiduis reſonantem queſtibus echo
Per menſes ſenos ſomnus adire negat.
andem, quæ volucris Ganimedem ferre jubetur,
Orat adeſſe ſibi numina ſumma Jovis.
lius inque ſinu deponens molliter ova,
Inviolata illic poſſe manere putat.
uippe Deum compellat honos ſuus ova tueri:
E ſacro hæc auſit quis rapuiſſe loco?
emo rapit. Se alias hoſtis convertit ad artes:
Numinis in veſtem conjicit ecce fimum.
xcutiendo togam, effudit malè Juppiter ova;
Imprudens fecit quod Deus, audit avis:

---

38. *Numina.* Plurale *pro* ſingulari. Virg. 1. *Georg.* Cæſarem
oquens.

—— Tua nautæ
Numina ſola colant.
Per & Dianæ non movenda numina. *Horat. Epod.* 12. *Od.*
Ignibus æternis æterni numina præſunt
Cæſaris. *Ovid.* 3. *Faſt.*

44. *Fimum.* Fimus *vel* fimum eſt ſtercus animantium. Prodeſt
fimum gallinaceum. *Plin. l.* 19. *cap.* 5. Quidam bubulo fimo
num jumentorum præferunt, ovillumque caprino. *Idem. l.* 17.
. 9.

Digitized by Google

Mille Deo jactat convicia, regia cœli
  Jam mihi ſordet, ait, jam loca ſola peto.
Nullius arbitrio poſthàc obnoxia vivam.
  Centum addit ſimiles, acta furore, minas.
Obticuit Divûm rector pudibundus: at illo
  Coram queſturus mox ſcarabæus adeſt:
Ordine rem totam narrat, ſævamque volucrem
  Arguit admiſſo crimine digna pati.
Diſcordes animi dùm pacem utrinque recuſant,
  Rixarum ſemen ſuſtulit omne Deus;
Partum aquilæ poſthàc transferri juſſit in atros,
  Queis ſcarabæa ſolet gens hiemare, dies,
Montanique inſtar muris, demerſa ſopore,
  Per longas noctes abdita, luce caret.

---

49. *Nullius.*

Nullius addictus jurare in verba magiſtri.

Horat. l. 1. *Epiſt.* 1.

51. *Pudibundus.* Vide notam 2. fab. 1. 1. v. 15.

54. *Arguit*, i. e. *probat*, *convincit.*

——— Me nulla dies tam fortibus auſis
Diſſimilem arguerit. *Virg.* 9. *Æneid.*
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Horat. l. 1. *Epiſt.* 19.

I. e. convincitur eſſe vinoſus, quòd vino multas dat laudes.

Digitized by Google

FABULA IX.

Leo & Culex.

VILE genus, malè progenuit quod putrida turpi
  Terra ſinu, aligerum dedecus, eſto procul.
In culicem hæc jactaſſe leo convicia fertur,
  Quem vocat indignans in fera bella culex;
Hunc-ne, putas, regis titulum, quo, ſtulte, ſuperbis,
  Eſſe mihi curæ, vel mihi ferre metum?
Te mole immani taurus, te robore vincit,
  Hunc tamen ad nutum flecto, reflecto meum.
Talia vix fatus, dat ſigna, ſtrepentibus alis,
  Ipſe ſuus tubicen, ductor & ipſe ſuus.
Nec mora, ſeſe infert campo, tempuſque ſecundum
  Captat, & invadit colla ſuperba feri.
Inſanit quadrupes, rugit, ſpumam evomit ore,
  Scintillaſque vibrans lumen utrumque rubet.
Agricolæ trepidi latitant, habet omnia terror;
  Quæ motûs tanti cauſa metûſque? Culex.

---

4. *Fera bella.*

——— Ipſe vides manibus fera bella Minervæ.
Ovid. 3. *Faſt.*

Hinc fera gradivum bella movere decet. *Idem.* 5. *Faſt.*

6. *Ferre* pro *afferre*, *procreare.*

——— Nec credere quivi
Hunc tantum tibi me diſceſſu ferre dolorem.
Virg. 6. *Æneid.* v. 464.

14. *Lumen* pro oculo ponitur, quòd oculi ope lumen videamus.

——— Telo lumen terebramus acuto.
I. e. terebramus oculum Polyphemi.

Quo ſe cumque leo ferat, indeſeſſa laceſſit
  Muſcula, ſexcentis inſequiturque locis.
Nunc roſtro infigit jaculum, nunc vellicat armos;
  Nunc, veluti latebram, concava naris adit.
Creſcit in immenſum rabies effrena leonis;
  Tunc hoſti inviſo dulce videre fuit
Eſſe feræ nullum dentem-ve ungem-ve furenti
  Qui non certatìm vulnera dira ferat.
Se leo diſcerpens inſontes verberat auras,
  Caudâ immane ſonans tundit utrumque latus.
Summus anhelantem frangit furor, edomat; ægro
  Deficiunt animi, victus & ecce jacet.
Partâ laude tumens diſcedit muſca; triumphum,
  Ut pugnam cecinit, ſic canit ipſa ſuum.
Omnia pervolitans loca, dùm rem vulgat, arachnes
  Se temerè in laqueos injicit, inque necem.
Hinc ediſce duo: primum, mala ferre potenti
  Hoſtis vel minimus maxima ſæpè valet.
Deindè graves valuit qui mox eludere caſus,
  Hunc ſubito mergit funere cauſa levis.

---

18. *Muſcula.* Calepinus dicit muſculam eſſe diminutivum muſcæ. Quid, ſi corpus ſpectas, imbecillius homine reperire queas, quem morſus muſcularum necat? *Boet. l. 2. de Conſol. Philoſoph. proſâ ſextâ.* Scyniphes enim muſculæ ſunt breviſſimæ, quâ tertiâ plagâ ſuperbus populus Ægyptiorum cædebatur. S. *Auguſtin. de Trinit.* 3. 7.

20. *Adit.* Adire *pro* intrare.

Nec placidos portus hoſpita navis adit.
Ovid. l. 4. Triſt. 4.

——— Tartara juſſus adit. *Idem. Faſt. 4.*

Juſſit adire domos. *Virg. Georg. l. 4.*

22. *Inviſus*, i. e. *non viſus.* Majoribus non inviſa ſolùm, ſed etiam inaudita ſacra. *Cic. de Aruſp. reſ. Pont.* 47. Inviſi & latitantes, *i. e.* non viſi. *Cæſar, de bello civili.*

Digitized by Google

FABULA X,

Duo Aſini.

LONGÆ auris binos ducebat agaſo veredos,
  Regis more tenens lignea ſceptra manu.
Fert faciles alter, vehitur quo ſpongia, greſſus,
  Ceu pede feſtino nuntius ire ſolet.
Sed crebris alter ſtimulis & voce premendus,
  Sal lentè, veluti vitrea vaſa, gerit.
Per juga, per valles, par nobile, perque ſalebras
  Deveniunt, alto quà fluit unda vado.
Hærent ad ripam; ſolitus tranſire fluentum
  Conſcendit pecudis terga prioris herus.
Et flagro ſociam præcedere cogit inertem,
  Ferrea cui cervix impatienſque regi.

---

1. *Agaſo* Eſt equorum, vel aſinorum, vel mulorum ductor. Duo equi cum agaſonibus. *Tit. Liv. Decad.* 5. *l.* 2. Equus, agaſo, armiger. *Plaut. Merc.* 5. 2. 11.

Non treſſis agaſo. *Perſ.* 5. *Sat.*

2. *Tenens.*

Sceptra tenere manu. *Ovid. de Ponto* 1. *Epiſt.* 8.
Sceptra manu tenes. *Idem.* 1. *Metam.*

4. *Ceu.* Adverbium ſimilitudinis.

——— Ceu naufraga corpora. *Virg.* 4. *Georg.*

7. *Juga.* Jugum pro montis apice.

Nam neque Parnaſſi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecêre *Virg. Eglog.* 10.
Juvat ire jugis. 3. *Georg.*
Decurrere jugis. 4. *Æneid.*

Digitized by Google

Præcipitem cerebroſa cavo ſe beſtia miſit :
Hinc tamen emergens proxima fata fugit.
Scilicet innabat medio dùm gurgite, totus
Diffluit in tenues ſal reſolutus aquas.
Tunc nimium pondus, quod mente gerebat iniquâ,
Totum humeris aſinus ſentit abeſſe ſuis.
Géſtit idem tentare comes, quo ſpongia fertur;
Credulam ovem ducit ſic aliena fides.
Arcadicus noſter, collo tenùs, abditur undis.
Unà merguntur ſpongia, agaſo, pecus.
Spongia non parcè bibit; illam æquare bibendo
Egregiè certat beſtia, certat homo.
Spongia ſed gravior dùm mole tumeſcit aquarum,
Succumbens aſinus littus adire nequit.

---

13. *Cerebroſa.* Cerebroſus dicitur qui habet durum & pervicax cerebrum. Senex hic cerebroſus eſt. *Plaut. Moſtel.* 4. 2. 36. Cerebroſus bos. *Columel.* 2. 2. *cap.* 11.

13. *Cavo.* Cavus ſeu cavum *pro* loco cavato, cujuſcumque ſit magnitudinis, ſeu magnæ, ſeu parvæ.

Inventuſque cavis bufo. *Virg.* 1. *Georg.*

Pullos in cavis educant avium ſoli (ſubaud. Pici Martii.) *Plin. l.* 10. *cap.* 18. Speluncam leonis vocat leoninum cavum. Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo. *Plaut. Menechm.* 1. 1. 49.

24. *Beſtia.* Eſt nomen generale, omnia animalia rationis expertia complectens. Beſtiarum, inquit, varia genera vel cicurum, vel ferarum. *Cicer. de nat. Deorum.* Namque alias beſtias eſſe voluit, alias volucres..... Immanes alias, quaſdam autem cicures. *Idem. Tuſcul. qu. l.* 5. 38.

26. *Littus.* Eſt terra mari vicina, ſed de fluminibus etiam dicitur. Virg. 7. *Æneid.* loquens de Numico Latii fluvio.

——— Sacrumque Numici
Littus arant.
——— Viridique in littore conſpicitur ſus.
Idem. 8. *Æneid.*

In hoc Virgilii verſu ſermo eſt de ripâ Tiberis.

Digitized by Google

Hunc trepidus ſeſſor preſſis amplectitur ulnis,
Quòd celerem & certam credat adeſſe necem.
Præſtat opem quidam miſerans. Ecquis ? Nihil ad rem.
Me tantùm mores inſtituiſſe juvat.
Non eadem in cœptis îſdem via cuique tenenda ;
Tendebat lepidis huc mea muſâ modis.

---

31. *Iſdem.*

——— Mæander toties qui terris errat in îſdem.

Ovid Heroid. Epiſt. 9.

31. *Via.* Via interdùm metaphoricè eſt ratio & modus aliquid faciendi, ſeu methodus. Litigandi tradunt vias. *Cic.* 1 *de Legibus.* 18.

——— Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit. *Virg.* 1. *Georg.*

FABULA XI.

Cujus argumentum ex quintâ Phædri Fabulâ, lib. 5. deſumptum eſt.

Leo & Mus.

QUA potes, officio quemvis prævertere debes:
  Auxilio major ſæpè minoris eget.
Fabellis geminis, quàm res ſit vera, patebit,
  Exemplorum offert ſe mihi tanta ſeges.
Mus temerè erupit latebrâ, horrificoſque leonis,
  Incauto ſaltu, ſe tulit ante pedes.
Expromens dignos auguſto nomine ſenſus
  Rex pecudum, incolumem mitis abire jubet.
Non olli periit benefactum inſigne. Leonem
  Poſſe quis officio muris egere putet?
Idem fortè leo ſilvis egreſſus opacis,
  Incidit in teretes, texta doloſa, plagas.
Hîc rugit incaſsùm: nullo dirumpere niſu
  Vincla poteſt; celerem mus dare geſtit opem;
Nexibus in cœcis ita dente laborat, ut omne,
  Ruptâ unâ maculâ, textile ſolvat opus.
Quod non ira nimis præceps, non cæca facit vis,
  Sæpè labor conſtans & mora longa facit.

---

9. *Periit.*

—— Labor perit. *Ovid.* 1. *Metam.*

Perit gratia, ſi repoſcatur. *Plin. l.* 1. *Epiſt.* 13. *ad Soſium ſenecionem.*

13. *Rugit.*

Tigrides indomitæ rancant, rugiuntque leones.

Author Philomelæ, v. 9.

16. *Macula.*

Retia ſæpè comes, maculis diſtincta tetendi. *Ovid.* 5. *Epiſt.*
Maculæ autem ſunt nodi, quibus circumdantur foramina retium.

FABULA

FABULA XII.

Columba & Formica.

Exemplum en aliud leviora animantia præbent.
Sedabat vitreo fonte columba ſitim.
Formica imprudens, dùm ſeſe inclinat ad oram,
Præcipiti in medias vertice fertur aquas.
Videris hanc magno velut oceano interceptam,
Vanâ defeſſos arte movere pedes.
Ingenitâ caſum miſerans pietate columba,
Immittit paleæ perleve fragmen aquis.
Conſcendit tenuem, ceu promontoria, culmum
Formica, eluctans littora tuta ſubit.
Ruſticus ad rivum, nudo pede, venit eumdem;
In lævâ præſtò ligneus arcus erat.
Aſpicit ut Veneris volucrem, jam gaudia carpit,
Ceu prædam foculo decoquat olla ſuo.
Dùm parat innocuæ mortem, formica repentè
Nativâ mordet forcipe ponè pedem.
Colla reflectit homo, ſtrepituque excita volucris
Se dat in aerias longiùs indè vias.
Cœnaque, ſperat edax quam ruſticus, avolat unà;
Empta obolo vili nulla columba fuit.

---

14. *Foculo.*
Jam lavat, & buccâ foculum excitat, & ſonat unctis
Strigilibus. *Juven.* 3. *Sat.* 240.
Attinius bona Quinti Metelli conſecravit, foculo poſito in
ſtris, adhibitoque tibicine. *Cic. pro domo* 124. Epulas foveſi
culis ardentibus *Plaut. cap.* 4.2. 67. Arrepto carbone extincto
foculo. *Plin. l.* 35. *cap.* 10. 124.

FABULA XIII.

Aſtrologus in puteum delapſus.

DECIDERAT puteum cœli ſpeculator in imum:
O miſeram pecudem! vir benè ſanus ait.
Quod ſupra caput eſt, eccur legiſſe laboras,
Dùm tu vix, pedibus quæ propiora, vides?
Hoc uno eventu, vel ſi nihil ampliùs addam,
Maxima pars hominum, quo doceatur, habet.
Pandere, penè omnes, facilem conſuevimus aurem,
Si quis fidenti dixerit ore magus:
Cœleſti Fatum quæcumque volumine ſcripſit,
Terrigenûm arguto lumine poſſe legi.
Sed quem Mœonius vates atque hujus alumni
Tot cecinêre, quid eſt myſticus ille liber?
Nil niſi res, quondam quæ caſus nomine dicta,
Nunc appellatur provida cura Dei.
At nil de caſu notum; ſecùs, ille vocari
Fors incerta, anceps alea, ſorſque, nequit.

2. *Pecudem.* Hominem Cicero vocat pecudem *in Piſon.* 19. Conſilio iſtius pecudis uti volebam.

5. *Ampliùs.*
—— Verbum non ampliùs addam. *Horat. l.* 1. *Sat.* 1.

7. *Pandere aurem.*
—— Hæc nullis avidam rumoribus aurem
Pandit. *Claud.* 2. *in Conſulat.* 1. *Stilich. v.* 47.

11. *Mœonius vates.*
Si tu Mœonium vatem ſortita fuiſſes. *Ovid*, 1. *Triſt.* 6. Sic dictus eſt Homerus, vel à patre Mœone, vel à Mœonia Aſiæ minoris regione, quæ erat ejus patria, eadem ac Lydia.

15. *Caſus.* Quamvis caſus vulgò ſumatur pro eventu fortuito, non rarò ſumitur pro cæcâ cauſâ, cui veteres eventus fortuitos tribuebant.

Digitized by Google

d quæ decernat ſapiens mundi Arbiter, unus
Perſpicit arcani conſcius ipſe ſui.
quis enim cœli rimans penetralia, legit
Condita inacceſſo quæ tenet ille ſinu?
entus-ne Deus varios inſcripſit in aſtris,
Quos adeò denſâ tempora nocte premunt?
uorsùm? Quò poſſint animum exercere, laborant
Quotquot de ſphærâ ſcribere deque globo?
uò fruſtrà prudens malum inevitabile vites,
In mediiſque adſint gaudia nulla bonis?
dùm faſtidis bona prælibata, priuſquàm
Naſcantur, mutes ſæpiùs illa malis?
ultum eſt, imò nefas, ſic credere; volvitur æther,
Percurrunt juſſam lucida ſigna viam;

Quis tantam Rutulis laudem, caſus-ne, Deus-ne
Attulerit? *Virg.* 12. *Æneid.*
Et tulerit quò me caſus, & undè, ſubit.
Ovid 4. *Triſt.* 1. *Eleg.*

23. *Quorsùm. Id eſt*, ad quod propoſitum? Quorsùm ne iſthuc? *Ter. Andr.* 2. 2. 24. Quorsùm iſta quæris? *Cicer. lib.* 1. *de Legib.* 4.

23. *Laborant ſcribere.*
——— Moraſque
Ipſa tuas damnes, & me retinere labores.
Ovid. Metam. l. 13. *v.* 809.
Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.
Horat. Art. poëtic.

25. *Inevitabile.*
Addidit & tonitrus & inevitabile fulmen. *Ovid.* 3. *Metam.*
Sed rigidum jus eſt & inevitabile mortis. *Idem, ad Liviam.*

29. *Stultum eſt.*
Sed ſtultum eſt venti de levitate queri.
Ovid. Heroid. 21. *v.* 76.

30. *Signa pro aſtris.*
Tempore nocturno tum ſplendida ſigna videntur
Labier. *Lucret. l.* 4.

Digitized by Google

Aſſiduus mundum luſtrat, triſteſque tenebras
  Aſſiduus vultu ſol rutilante fugat.
Ordine ſed tali digeſta hæc collige, tantùm
  Alternam ut peragant noxque dieſque vicem;
Diviſum varient ut tempora quattuor annum,
  Maturiſque Ceres meſſibus ornet agros:
Ut tacitè illapsâ vigeant virtute ſalubri
  Corpora, vitalis quæ calor intùs alit.
Præterea quid habent ſimile, inconſtantia casûs,
  Et jugis, toto qui ſtat in orbe, tenor?
Cedite ventoſi, regum aulâ cedite, vates,
  Turpe quibus lucrum, fata canendo, venit.
Cedite, vos pariter, flatu qui fingitis aurum;
  Et pariter vobis debita nulla fides.
At quò me raptat ferventior impetus iræ?
  Huc, undè orſa priùs, noſtra camœna, redi.
Plus nimiò ſpeculator aquas potare coactus,
  Arti qui falſæ tempora vana dedit,
Admonet inſanum qui rebus inanibus hæret,
  Nec ſentit jam ſe res-ve perire ſuas.

———

—— Cœlo labentia ſigna. *Ovid.* 3. *Faſt.*

Nox . . . . Cœlo diffundere ſigna parabat.
Horat. l. 2. *Sat.* 5.

47. *Plus nimiò.*
Attollens vacuum plus nimiò gloria verticem.
Horat. l. 1. *Od.* 16.

Quem res plus nimiò delectavêre ſecundæ.
Idem. l 1. *Epiſt.* 10.

48. *Tempora.*
Atque utinàm his potiùs nugis tota illa dediſſet
Tempora. *Juvenal.* 4. *Sat.*
Mitibus aut ſtudiis tempora plura dedit.
Ovid. de Com. 9. *Epiſt.*

FABULA XIV.

Lepus & Ranæ.

MULTA lepus meditans recubabat ritè cubili;
  Nam recubans, quidnam, ni mediteris, agas?
Hîc nigra ſollicitis augebat tædia curis;
  Semper edit lepores, triſtia corda, pavor.
O nimiùm infelix, quiſquis pavidæ indolis! inquit,
  Quæcumque os ſubeat, proficit eſca nihil.
Nulla animum refovet, quæ ſit ſincera, voluptas;
  Cauſa nova uſque metûs: ſic ego vivo miſer.
Improbus ille timor mihi lumina, quando ſopori
  Cedo defeſſus, ſemper aperta tenet.
Ægrum, vir ſanus dicet, purgato cerebrum.
  Purgare, heu! pavidum quæ medicina valet?
Credo equidem, nec fallor; habet qui pectora noſtra,
  Gentis & humanæ pectora terror habet.
Hæc ſecum lepus; & partes intentus in omnes
  Excubias vigiles irrequietus agit.

---

1. *Cubili.* Cubile propriè dicitur de lecto, eo quòd homines in eo cubant; ſed metaphoricè ad loca transfertur, in quibus cubant & requieſcunt feræ. Deliteſcunt cubilibus beſtiæ. *Cic.* 2. *de nat. Deor.* 126. Virgilius apum alvearia vocat rimoſa cubilia.

Tu tamen è levi rimoſa cubilia limo
Unge. *Lib.* 4. *Georg. v.* 45.

10. *Tenet.*

Illic clauſa tenent ſtabulis armenta. *Virg.* 3. *Georg.*
Tu glacie freta vincta tenes. *Ovid.* 3. *de Pont.* 1. *Eleg.*

Digitized by Google

Conſilii mens errat inops, gelidam omnia venis
  Immittunt febrim, ventulus, umbra, nihil.
Talia dùm triſtis volvit, taciturſque revolvit;
  Ad ſuſpenſam aurem murmur inane venit.
Territus ad notum properat, mora nulla, cubile;
  Proxima per ſtagni littora fecit iter.
Ranæ præcipiti ſaltu ſe mittere in undas,
  Ranæ limosâ condere ſede caput.
Terreo nempè alios, inquit, qui terreor ipſe!
  Conſpectus noſter turbida caſtra fugat!
Undè mihi hic animus? Me, gens, præſente, tremiſcit!
  Ergò nunc belli ſum quoque fulmen ego.
Ignavus, pulchrè video, ſis quamlibet, alter
  Plus tamen ignavus, cui timearis, erit.

---

18. *Nihil.*

Hoc ridere meum, tam nil, nullâ tibi vendò
Iliade. *Perſ. 1. Sat.*

Tam nil, *i. e.* tam parvi pretii. Gallicè, *ce petit mot, ce rien; Je ne le donnerois pas pour toute l'Iliade.*

Nil habuit Codrus; quis enim neget? & tamen illud
Perdidit infelix totum nihil. *Juvenal. 3. Sat.*

Ex his duobus exemplis Perſii & Juvenalis patet nihil à latinis aliquandò ſumi pro re ita parvâ & exili, ut pro nihilo habeatur; certè non alium poteſt habere ſenſum in hoc verſu:

Perdidit infelix totum nihil.

27. *Præſente.* Tua mihi domus, te præſente, abſente, pateat. *Terent. Eunuch. v. 8. 28.*

30. *Cui timearis.*

Non tamen efficies, ut timeare mihi.
Ovid. lib. 2. de Ponto, Eleg. 2. v. 24.

Digitized by Google

FABULA XV.

Gallus & Vulpes.

STABAT in excubiis ſenior ſuper arbore gallus,
Seu vitare dolos, ſive parare vafer.
Mollire incepit tùm vulpes callida vocem:
Ceſſerunt, frater, jurgia noſtra procul.
Pax tandem; en adſum certæ tibi nuntia pacis;
Arbore quid ceſſas? Huc, mea cura, veni.
Complexus arcti firmo nos fœdere jungant.
Ah! precor, ingratas ne mihi necte moras.
Mille ego plus ſtadiis hodiè decurrere cogor;
Me procul à patriâ lis dirimenda vocat.
Te pariterque tuos dare tempora rebus agendis
Nil vetat; injicient nulla pericla metum;
Ceu fratres, gens officiis vos noſtra juvabit.
Nocturnæ prodant gaudia veſtra faces.
Huc ades, intereà fraterni pignus amoris,
Ut fida excipias oſcula deſque mihi.
Dulcius audivi nihil, inquit gallus, amica,
Bis lætor, pacem quòd prior ipſa feras.
Ecce canes video geminos huc tendere curſu.
Mox aderunt; præco pacis uterque venit.

---

2. *Seu* & *ſive* ſunt voces ſynonimæ, ut patet Virgilii Æneid. l. 2. v. 34.
Sive dolo, ſeu jam Trojæ ſic fata ferebant.

3. *Mollire*. Qui levare vultum, mollire vocem potes. *Cic. Clod.*

6. *Mea cura.*
—— Puer ire parat, mea maxima cura. *Virg. Æneid.*

19. *Tendere curſu.*
—— Curſuque amens ad littora tendit.
Virg. 2. Æneid. 321.

Deſcendo ut nobis quiſque oſcula mutua demus.
  Cui tunc illa : vale, me via longa manet.
Compoſitam pacem meliùs celebrare licebit
  Quondam, ubi me tempus, reſque vacare ſinent.
Nec plura : eluſas prædatrix ingemit artes,
  Se rapit hinc ſubitò, ſummaque ſaxa petit.
Vulpinos gallus ſecum ridere timores ;
  Nam bis dulce vafro ludificare vafrum.

---

26. *Rapit.*

——Ociùs hinc te
Ni rapis. *Horat. l.* 2. 7. *Sat.*

28. *Dulce.* Supple *eſt*, quod poteſt ſubaudiri, ut patet exemplis.

Durum, ſed levius fit patientiâ,
  Quidquid corrigere eſt nefas. *Hor. l.* 1. *Od.* 20.
—— Turpe referre pedem. *Ovid.* 2. *de Ponto* 6. *Eleg.*
  Utile finitimis abſtinuiſſe locis. *Idem, de remed.*
—— Sed grave tardas
Expectare colos. *Juvenal.* 14. *Sat.*

Nota quòd dulcis ſæpè idem ſit, ac jucundus.

Sed foret à populo tunc mihi dulce premi.
Ovid. l. 4. *de Pont.* 9. *Eleg.*

28. *Ludificare.* Eſt per jocum fallere. Rogaſne, improbe etiam, qui me ludificas? *Plaut. Amphitr.* 2. 1. 21. Apud Terentium, ludificari habet eumdem ſenſum, ac ludificare.

Digitized by Google

FABULA XVI.

Corvus Aquilam æmulans.

PERPASTAM rapiebat ovem Jovis armiger ales;
Rem corvus quidam non procul indè videt;
Ingluvie poterat, ſi non contendere nervis,
Jamque ardet prædam ſurripuiſſe parem.
Itque reditque gregem circum, tandem eligit unam,
Centum alias formâ quæ ſuperabat, ovem.
Dignam, pontificum feriat quam ſacra ſecuris;
In menſam, fuerat creſcere juſſa, Deûm:
Haud novi, quænam te paverit ubere nutrix,
Dùm vorat illam oculis, helluo lætus ait.
Sed niſi me fallit ſpecies, tibi corpus opimum.
Accedes menſæ, dulcior eſca, meæ.
Mox in balantem totis citus irruit alis;
Majus caſeoli pondere pondus ovis.
Inſuper hanc circum denſiſſima lana tegebat;
Implicitam barbam ceu Polyphemus habet.
Sic mediis ales villis innexuit ungues,
Ut fuerit miſero jam via nulla fugæ.
Paſtor adeſt, volucremque capit, benè carcere clauſam
Vimineo, pueris donat habere jocum.

---

9 *Ubere* pro *mammâ.*
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus.
Virg. Eglog. 3.

20. *Donat habere.*
Donat habere viro decus & tutamen in armis.
Virg. 5. *Æneid.*
——— Armaque Lauſo
Donat habere humeris, & vertice figere criſtas.
Idem. 10. *Æneid.*

Metiri proprio ſeſe modulo addecet omnes :
Clariùs id corvi triſtia fata monent.
Quod tutè latro, haud impunè latrunculus auſit.
Exempla illecebris exitioſa ſuis.
Qui plebem comedunt, non cunctis ſumma poteſtas.
Quà veſpa egit iter, muſcula capta manet.

---

21. *Se metiri.*

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt.
Horat. l. 1. Epiſt. 7.

——— Nec ſe metitur ad illum
Quem dedit hæc (paupertas) poſuitque modum.
Juvenal. 6. Sat.

22. *Clariùs.*

——— Clariùs indicant
Laudes, quàm Calabræ Pierides. *Horat. l. 4. Od. 7.*
Clariùs id periclum apparet. *Cælius in Cic. l. 8.*

23. *Tutè.* Tutè cautèque aliquid agere. *Cic. ad Herm. l. 3. 9.* Quâ in cauſâ tutè eſſe potuiſſet. *Idem, pro Rab. 25.*

25. *Comedunt.* Comedere aliquem, per tranſlationem, pro conſumere ejus rem, nummos.

Scire modò venire ſalvum, quem abſentem comes, *i. e.* cujus abſentis bona abſumis. *Plaut. Moſtel. 1. 11.*

26. *Muſcula.* Vide notam Fab. 9. hujus libri, v. 18.

FABULA XVII,

Cujus argumentum ex decimâ-ſextâ Phædri Fabulâ, lib. 3. deſumptum eſt.

Pavo ad Junonem.

SUPPLICITER Junonem orans ita pavo dolebat;
Te coram immeritò non ego, diva, queror.
Quâ me donaſti vox, heu! miſerabile munus,
Ingratis omnes lædit acerba ſonis.
Exile at Philomela genus, molli atque canoro
Quemque movet cantu, ſolaque veris honos.
Cui contrà indignans Juno: ten' poſcere dulces
Luſciniæ modulos, invidioſe, decet?
Tu meliùs ſileas; nempè Iris, mille colores
Quam variant, decorat ſplendida colla tibi.
Te circumſpectans, caudæ miracula pandis,
Præ quâ nil gemmis plena taberna nitet.

---

8. *Luſciniæ.* Luſcinia eſt avis ſic dicta, quod lugens canat; vocatur luſcinia ab Horatio, & luſcinius à Phædro. Scilicet:

Luſcinias ſoliti impenſo prandêre coemptas.

Horat. l. 2. Sat. 3.

Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datæ,
Tibi forma, vires aquilæ, luſcinio melos.

Phædr. l. 3. Fab. 16.

12. *Præ.* Hæc præpoſitio ſæpè ſumitur comparativè, ſeu inducit comparationem. Omnia ſibi qui poſt putârit eſſe præ meo commodo, id eſt, commodi mei comparatione, inquit Donatus. *Ter. Adelph.* 2. 3. 8. Ego illum contempſi præ me. *Ibid.* 2. 3. 33. Non ſum dignus præ te, ut figam palum in parietem. *Plaut. Mil. glor. act.* 4. 4. 4.

Cunctane præ campo & Tiberino flumine ſordent?

Hor. Epiſt. 11. 4.

Auſus Apollineos præ ſe contemnere cantus.

Ovid. Metam. 11. v. 155.

Quotquot aves volitant ſub Olympi fornice vaſto,
  Dinumera; veneres æquat an ulla tuas?
Cuique ſuam dedimus dotem, non omnibus omnes;
  Sunt qui, præ reliquis robore, mole valent.
Bellatrix aquila eſt, falco levis, omina læta
  Dat corvus, cornix fata ſiniſtra canit.
Vox ſua cuique placet; vani ergò deſine queſtûs;
  Sin, ego te plumis jam ſpoliabo tuis.

---

19. *Deſine.* Deſine cum genitivo, græcorum eſt, quos imitatur Horatius, *l.* 2. *Od.* 6.

—— Deſine mollium
Tandem querelarum.

Digitized by Google

FABULA XVIII,

Cujus argumentum ex undecimâ Phædri Fabulâ, lib. I. deſumptum eſt.

Leo & Aſinus venantes.

Rex pecudum voluit venando quærere prædas,
Natalem cupidus mox celebrare ſuum.
Non tenuis paſſer digna eſca leone, tenellus
Sed dama, inſignis cervus, obeſus aper.
Commodat huic operam, quò res benè cedat, aſellus;
Immani referens Stentoris ora ſono.
Fit roſtrum auriti venatica buccina, denſis
Hunc locat in dumis, hunc leo fronde tegit.
Rudere deinde jubet: coges clangoribus, inquit,
Vel minimè pavidas linquere luſtra feras.
Haud tantæ aſſuêrant audire tonitrua vocis;
Terrifico ſtrepitu contremuêre juga.
Terror ſilvicolas nemoroſis trudit ab antris,
Et fuga in excubias, queis latet hoſtis, agit.

---

2. *Natalem.*
——— Meus eſt natalis, Iola. *Virg.* 3. *Eglog.*
Quæ data natali cœpit habere ſuo. *Ovid.* 3. *Faſt.*

9. *Rudere.* Prima ſyllaba eſt ad libitum brevis, vel longa;
——— Arcadiæ pecuaria rudere credas. *Perſ.* 3. *Sat.*
Intempeſtivo rudit ille (aſinus) ſono. *Ovid.* 4. *Faſt.*

9. *Clangoribus.* Clangor eſt propriè ſonitus tubæ, cujus vicem aſinus gerebat.

11. *Tonitrua.* Tonitru metaphoricè eſt magnus ſtrepitus.
——— Concuſſa eſt Daunia tellus
Armorum tonitru. *Silius Italicus*, *l.* 13.
Quæ porro illa tonitrua? Quæ tempeſtas? *Cic.* 5. *Philip.* 8.

Non benè te juvi? poſt cædem, dixit aſellus,
Ceu ſibi venatûs debitus omnis honos.
Mirè es vociferatus, ait leo; quin, niſi noſſem
Teque tuumque genus, territus ipſe forem.
Tunc aſinus (ſineret pavor) erupiſſet in iram,
Quanquàm irrideret non ſine jure leo.
Ventoſum quis enim placidus patiatur aſellum?
Illud ventoſum non ſolet eſſe genus.

---

17. *Vociferatus.* Vociferari eſt vehementiùs clamare.

——— Res ipſaque per ſe
Vociferatur. *Lucret. l.* 2.

Neque ſatis liberè poſſe vociferari intelligo. *Cic. pro Roſcio Amer.* 9.

21. *Ventoſum.* Ventoſus per tranſl. quandoque accipitur pro tumido, inflato, inani, vano.

Superbiebat ventoſa & inſolens natio. *Plin. Paneg.* 31.

Jam noſces, ventoſa ferat cui gloria laudem.
Virg. 11. *Æneid.*

I. e. inanis jactantia.

FABULA XIX,

Cujus argumentum ex quarta Phædri Fabulâ, lib. 4. deſumptum eſt.

Æſopus interpres teſtamenti.

De Phryge ſi veteres Æſopo vera ferebant,
Gentis hic Argolicæ magnus Apollo fuit.
Dotibus inſignis ſophiæ, ingeniique profundi,
Unus vel totum vicit areopagum.
Rem prorsùs lepido mens eſt evincere facto,
Fortè quod ingratum non tibi, lector, erit.
Diſpare tres habuit civis quidam indole natas,
Prima auro, hæc luxu, gaudet & illa mero.
His bona ritè ſenex æquas diviſa reliquit
In partes, jus ut municipale jubet.
At certam debent ſummam perſolvere matri,

1. *Ferebant.* Ferre *pro* dicere. Ex C. Cæſare genitum ferebat. *Tacit. Annal.* 13. *ann. lib.* 15. 72.

3. *Dotibus.* Dos propriè dicitur pecunia, quæ marito ab uxore datur, ut apud Terent. *Adelph.* 4. 7. 41. Uxor ſine dote veniet. Sed dos tranſlatè ſumitur pro eo omni, quod alicui datum à naturâ vel ab hominibus. Undè dotes animi dicuntur prudentia, juſtitia, fortitudo; & dotes corporis, fortitudo, robur, incolumitas.

7. *Habuit.*

Ille habuit comites primos telluris Achivæ.
Ovid. 1. *de Ponto*, 4.
—— Multos habeas cùm dignus amicos.
Ibidem, 1. *de Pont.* 9. *Epiſt.*
Filium unicum habeo. *Ter. Heaut.* 1. 1. 42.
Habebat quidam filium . . . .
Et filiam. *Phædr. l.* 3. *f.* 8.

10. *Jus municipale* apud romanos dicebatur privatum jus uniuſcujuſque civitatis. Municipia autem erant urbes jure roma-

Digitized by Google

Deſinet ut partem quæque tenere ſuam.
Vix pater interiit, jam teſtamenta reſignant
Hæredes avidæ, ſingula verba legunt.
Nemo poteſt ullo mentis deprendere niſu,
Ultima teſtantis quid ſibi cera velit.
Perſpiciat quis enim matri æs dare poſſe ſorores,
Deſinat ut partem quæque tenere ſuam:
Nempè carere bonis, magni, ut quis nomina ſolvat,
Non eſt auxilii: quid jubet ergò pater?
Conſultant, tabulaſque legunt, releguntque patroni;
Rem centum verſant, inſpiciuntque modis.
Arrodunt vivos ungues, victique fatentur
Deficere hîc artem, judiciumque ſuum;

---

næ civitatis donatæ. Municipia quoque vocabantur civitates ſuo jure & legibus utentes, muneribus tamen populi romani & honoribus fungentes.

16. *Ultima cera*, ſeu ultimum teſtamentum.

Nihil Ammiano præter aridam veſtem
Moriens reliquit ultimis pater ceris. *Mart. l.* 4. *Epig.* 70.

17. *Perſpiciat.* Perſpicere, undè natus ſit error. *Cicer.* 1. *de Finib.* 52. Perſpicere, quid in quâque re verum ſit. 2. *Offic.* 18.

19. *Nomina.* Nomen ſæpè idem ſonat, ac id quod debetur. Exigere nomina ſua. (*i. e.* exigere quod ſibi debetur.) *Cic.* 3. *in Verr.* Nomina mea, per Deos, expedi. (*i. e.* ſolve quod debeo.) *Idem, Attic.* 1. 16. *Epiſt.* 6.

23. *Arrodunt.* Ungues arrodere vel mordere, proverbiali apud latinos metaphorâ dicuntur, qui ſunt meditabundi, ſuumque torquent animum, dùm rem aliquam ſecum agitant. Hinc Hor. *l.* 1. *Sat.* 10.

——— Vivos & roderet ungues.
——— Nec demorſos ſapit ungues. *Perſ.* 1. *Sat.*

Idem, Perſ. 5. *Sat.* deſcribens adoleſcentem de mutandis moribus cogitantem, ſic loquitur.

——— Crudum Chæreſtratus unguem
Arrodens, ait hæc.

Digitized by Google

ſunt bona, dixerunt, ternis hæredibus æquâ
(Miſſo quod ſupereſt) diſtribuenda fide.
Dein certo obſtrictis pacto pendetur ab iſdem
Matri pars ſummæ tertia, quandò volet.
Ni viduæ libeat reditum indè creare, vel ipſâ
Naſcentem, oſſa patris quâ tumulata, die.
Re ſic diſpoſitâ, triplex fit portio: primo
Ordine, ſiccandis commoda tecta ſcyphis:
Aptæ epulis menſæ, quas hoſpita vitis inumbrat;
Aurea ſolertis vaſa Mironis opus.
Impreſſi calices ſignis, argentea labra:
Quæ Chium ſervat multa apotheca merum:
Delecti dapibus vernæ: quid multa? Culinæ
Inſtrumenta avidam nata beare gulam.
Altera pars, mundus muliebris, culta ſupellex,
Quæ mediâ ſplendens eminet urbe, domus;
Eunuchi: doctæ tortos componere crines
Feminæ, & artifici pingere ſtamen acu:

---

25. *Ternis* pro *tribus*. Cùm loquimur terni, nihil flagitii dicimus: cùm bini, obſcœnum eſt. *Cic.* 9. *fam.* 22.

Immane eſt vitium dare millia terna macello.
Hor. 2. *l.* 4. *Sat.*

I. e. tria millia ſeſtertium.

29. *Reditum.* Reditus eſt idem, ac proventus. Ita vocatur quòd ſingulis annis redeat.

Et reditus jam quiſque ſuos amat, & ſibi quid ſit
Utile, ſollicitis computat articulis. *Ovid. de Pont.* 3. 17.

30. *Tumulata.*

Inque Tomitanâ jaceat tumulatus arenâ.
Ovid. l. 1. *de Pont.* 6. *Eleg.*

Æolide Canace jacet hoc tumulata ſepulchro.
Mart. l. 11. *Epig.* 92.

31. *Portio* pro *parte.*

——— Breviſſima vitæ
Portio. *Juven.* 9. *Sat. Idem.* 3. *Sat.* 61.

Circa quod magna mortalium portio hæret. *Plin. l.* 8. *cap.* 31.

Inſuper inſignes gemmæ, tum plurima veſtis,
Quæ longo dives ſyrmate verrit humum.
Tertia pars famuli, duri jumenta laboris,
Armamenta domûs, prædia, prata, greges.
His ita digeſtis, ſi rem ſors dividat, aiunt,
Fortè habeat placitum quod ſibi, nulla ſoror.
Ergò bonis poſtquàm pretium impoſuêre ſorores,
Quæ ſunt viſa ſuis moribus apta, legunt.
Non hîc ficta cano, factum vidiſtis, Athenæ:
Et plauſum juvenes atque dedêre ſenes.
Unus at Æſopus: veſter labor irritus omnis,
Tractaque damnoſâ tempora longa morâ.
Quem vobis libuit teſtanti affingere ſenſum,
A vero ſenſu diſcite abeſſe procul.
Ah! patris audiret quàm juſtos Attica queſtus,
Huic ſi Parca novos neret amica dies!
Quid? Gens quæ reliquis ſe mentis acumine præfert,
Supremas tabulas expoſuiſſe nequit?

---

46. *Armamenta.* Robertus-Stephanus in ſuo theſauro linguæ latinæ, in quatuor tomos diviſo, ſic de armamentis loquitur: Armamenta dicuntur, authore Perotto, quæ ad aliquid inſtruendum pertinent: ut in navibus armamenta ſunt nõn ſolùm arma, ſed remi, vela, antennæ, rudentes, clavus, & alia ejuſmodi.

Plin. *lib.* 17. *cap.* 21. vinitorum inſtrumenta vocat armamenta.

55. *Teſtanti.* Teſtans *pro* teſtatore. Niſi alia mens fuerit teſtantis. *Ulp. in Leg. cum reſ.* §. *ſed ſi id petatur. D. de Legat.* 1.

60. *Supremas tabulas.* Supremæ tabulæ pro teſtamento ſumuntur.

Quadrantem Criſpus tabulis, Fauſtine, ſupremis
Non dedit uxori. Cui dedit ergò? Sibi.

Martial. lib. 5. *Epig.* 33. *de Criſpo.*

Criſpus hic omnia luxu perdiderat; moriens itaque nihil reliquit uxori, quoniam omnia dederat ſibi, id eſt, ventri ſuo,

Digitized by Google

Dixerat, & rursùm fortunam dividit omnem.
  Sumere quod refugit quæque coacta ſoror.
Seponi mœchæ jubet inſtrumenta bibentûm,
  Potricis partem præcipit eſſe pecus.
Mitrarum artifices ſortitur avara puellas.
  Phryx ita complevit vota ſuprema patris.
Nulla, ait, hæredum poterit ſervare quod horret;
  Sed partem ardebit vendere quæque ſuam.
Hinc aurum veniet; generoſi & dotis opimæ
  Quærent his thalamo ſe ſociare viri.
Sic opibus patriis exutæ, ſolvere præſens
  Æs matri poterunt: mens erat illa patris.
Obſtupuêre omnes plus mente valere ſagaci
  Unum, quàm capitum millia multa, caput.

---

61. *Fortunam.* Fortuna, vel fortunæ, *pro* divitiis, bonis, facultatibus.

Harum autem matrem fecit hæredem ſenex,
Sub conditione totam ut fortunam tribus
Æqualiter diſtribuat. *Phedr. l. 4. Fab. 4.*

Sæpè enim in quibuſdam, aut animus abjectior eſt, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior. *Cic. de amicitiâ. 56.*

64. *Præcipit* pro *imperat.*

Quidquid præcipies, eſto brevis. *Horat. Art. poët.*
——— Præcipe lugubres
Cantus, Melpomene. *Idem. l. 1. Od. 20.*

Finis Libri ſecundi.

Digitized by Google

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER TERTIUS.

FABULA PRIMA.

Piſtrinarius, Puer & Aſinus.

INVENISSE artes jactat ſe jure vetuſtas ;
Hinc fabellarum Græcia priſca parens.
At licèt hoc campo ſegetem amplam legerit ætas
Priſtina : quod carpat , poſtera ſemper habet.
Figmentum eſt regio longè vaſtiſſima : vatum
Cura novas illic detegit uſque plagas.
Quam ſibi Malherbum memorat ceciniſſe Racanus ,
Ingenioſa ſatis fabula teſtis erit ;

Digitized by Google

Diſcipuli Muſarum ambo, noſtri imò magiſtri,
Hæredeſque tuæ, Flacce venuſte, fidis,
Irriguum ad fontem fors convenêre; favebat
Illis umbra ſilens, & ſine teſte locus.
Malherbi comes orditur: (ſibi namque ſolebant
Curas & ſenſus credere uterque ſuos).
O cui multiplices caſus cognoſcere ſortis,
Perque omnes vitæ contigit ire gradus,
Maturum, ſeris & quem nihil effugit annis;
Nunc vitæ optandum mî genus: ecquid agam?
Tu pulchrè noſti, quis ſit mihi fundus avitus,
Quæ vis ingenii, ſim quibus ortus avis;
Obſcuro oppidulo ſuades mihi figere ſedem,
Fulgentem-ne aulam, vel fera caſtra ſequi?
Quidlibet in terris miſcet dolor atque voluptas:
Eſt Mars interdùm dulcis, amarus Hymen.

---

9. *Imò* vel *immò*. Hæc conjunctio vulgò ſignificat, *quin potiùs*. Eâ uſus eſt Virgilius. *Eglog.* 4 *v.* 13. *Egl.* 7. *v.* 41. *Eglog.* 9. *v.* 26.

Immò age, &c. *Æneid.* 1. *v.* 757.

Immò ego. *Æneid.* 9. *v.* 257.

Nulla ne habes vitia? Imò alia, haud fortaſsè minora.
Horat. l. 1. *Sat.* 3. *v.* 20.

Imò ita ſit. *Ovid.* 7. *Metam. v.* 412.

10. *Fidis.* Fides fidis, eſt genus citharæ ſic dictæ, quòd ejus chordæ tantùm inter ſe concordant, quantùm homines inter, fides concordat.

Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe latinæ.
Perſ. 6. *Sat.*

Inventor curvæ, furibus apte, fidis. *Ovid. l.* 5. *Faſt.*

18. *Optandum* Optare pro eligere. Quæque majori parte pulcherrima videantur, ea maximè optant. *Cic. lib.* 1. *Offic.*

Optavitque locum tectis. *Virg.* 3. *Æneid. v.* 109.

21. *Figere.*

——— Laudo tamen quòd ſedem figere cumis
Deſtinet. *Juvenal.* 3. *Sat.*

Digitized by Google

Si mea vota ſequar, facilis delectus; at aulæ
Debuerim & plebi gratus & eſſe meis.
Tùm ſic Malherbus contrà : gratum omnibus eſſe!
Accipe quæ legi, conſiliumque dabo.
Ruſticus emporium, nato comitante, petebat,
Ut multo arcadicam venderet ære feram.
Ille ſenex, puer hic, quanquàm haud ita parvulus, annos
Ter quinque attigerat, ſim modò ritè memor.
Viribus integrum vendant ut pluris aſellum,
Suſpendunt, nexos fune tenente pedes.
Palo animal geſtant, lychni inſtar penſilis, ambo
Ignari, incultâ ſimplicitate pares.
Qui prior aſpexit, plenis ridere cachinnis.
Ludere quem ludum, dixit, uterque parat?
E tribus inſignis non eſt, quem credis, aſellus;
Movêre haud leviter verba jocoſa ſenem;
Se ſtolidum agnoſcit, pecudem jubet ire ſolutam;
Conqueritur ſolito beſtia mœſta ſono.
Hanc delectabat mirè modus alter eundi :
Ferri iterùm vellet : ferre negavit herus.
Imponit pecori natum, ſequitur pedes; illac
Tres mercatores fortè vehuntur equis.

---

27. *Contrà.*
——— Veneris ſic contrà filius orſus. *Virg.* 1. *Æneid.*

29. *Emporium* eſt locus ubi fit mercatus. Cùm per emporium.... Puteolanorum iter faceremus. *Cic. Attic. l.* 5. *Epiſt.* 2. Apud emporium atque in macello. *Plaut. Amph.* 4. 1. 2.

39. *Aſellus.* Apud poëtas non ſemper ſumitur pro parvo aſino, ſed ſæpè pro aſino cujuſcumque magnitudinis, vel ætatis.
——— Ut iniquæ mentis aſellus,
Cùm gravius dorſo ſubiit onus. *Horat.* 1. *Sat.* 9.

45. *Pedes.* Ille pedes dicitur, qui pedibus iter facit.
——— Silvâ pedes errat in altâ. *Virg.* 6. *Æneid.*
Pars pedes ire parat campis. *Idem.* 7. *Æneid.*

Digitized by Google

c placet his ſpecies : vocem tùm maximus annis
Suſtulit, & puerum talibus aggreditur :
eus ! tu quem ſequitur ſervus, cui candida barba,
Deſcende, ô juvenis, nempè monendus eras ?
onè ſequi peditem valido te crure decebat,
Debuit infirmum beſtia ferre ſenem.
unc vetulus : quod vultis ago : deſcendere natum
Extemplò videas, dein equitare patrem.
urba puellarum tranſit : puerum pede claudo
Repere non pudor eſt ? clamitat una procax.
ic fatuus ſedet ecce ſuo, ceu præſul, aſello :
Se ſapere & credit, dùm merus eſt vitulus.
emo ætate meâ vitulus fuit, ille reponit,
Garrula, crede mihi, perge, puella, viam.
oſt crebra hinc illinc ſenior dicteria, ſeſe
Incuſat, puerum ponè ſedere jubet.
t vix ad paſſus ter denos vectus uterque ;
Mordaces ſpargit tertia turba ſales.
ti deſipiunt, ait unus, aſellus anhelans
Deficit, hunc cogent verbera ſæva mori.
uid ! ſic heu ! miſeri lumbos onerare gementes ?
Hos veteris famuli non mala tanta movent ?
h ! miſerande, tibi lux ultima vênit, aſelle,
Venaliſque foro cras tua pellis erit.

---

45. *Illac*, adverb.
——— At cœlum certè patet : ibimus illac. *Ovid. Metam.*

47. *Species*, i. e. res viſa.
Non tulit hanc ſpeciem furiatâ mente Corœbus
Virg. 2. *Æneid.*

67. *Quid ſic onerare.* Hic loquendi modus, qui gallicus, videtur, illi ſimilis eſt, qui à Virgilio adhibetur *l.* 1. *Æneid*
——— Mene incepto deſiſtere victam,
Nec poſſe Italiâ Teucrorum avertere regem?

Digitized by Google

Indignans genitor : maleſanæ eſt herculè mentis
Omnibus & patruo velle placere ſuo.
Quanquàm tentemus via detur an ulla placendi ;
Cœpit uterque viam protinùs ire pedes.
Præſulis inceſſum referens fera ſola præibat.
Occurrens quidam mox joculator ait :
An mos eſt onere ut liber ſpatietur aſellus ,
Et ſua nequicquàm crura fatiget herus ?
Natus uter , quæſo , dominus-ne , aſinus-ne labori ?
Cur hunc , ceu divum , non ſacra capſa tenet ?
Nempè terunt crepidas , pecudi ut parcatur inerti :
Non ità Damætas Phyllida adire ſolet.
Inſidet arcadico , lepidè ut plebecula cantat ,
O concentum aſini triplicis egregium.
Tùm pater ingenuè : fateor , ſum , dixit , aſellus :
Sed culpent poſthac , vel mea facta probent ,

---

71. *Herculè.*

Quidquid erat nactus prædæ majoris , id omne
Verterat in fumum & cinerem. Non herculè miror.

Horat. lib. 1. *Epiſt.* 15.

72. *Patruo.* Apud latinos in proverbium abiit patruorum ſeveritas , qui ſunt vulgò moroſi & ita difficiles , ut vix poſſint eis fratrum filii ſatisfacere. Hinc Cicero , *pro Cœlio* 25. Qui in reliquâ vitâ mitis eſſet , fuit in hac cauſâ pertriſtis quidam patruus , cenſor , magiſter.

——, Sive ego pravè
Seu rectè hoc volui , ne ſis patruus mihi.

Horat. lib. 2. *Sat.* 3.

84. *Concentum.* Concentus *pro* conjunctione.

Nunc age , quid noſtrum concentum dividat , audi.

Hor. l. 1. *Epiſt.* 14.

I. e. noſtram concordiam,

Deblaterent

Deblaterent, ſileant-ve : meo facere omnia marte
  Jam certum eſt ; fecit ; fecit & ille benè.
At tu delicias, aulam, vel caſtra ſequaris :
  Te caſti teneant vincula ſacra tori :
Sis præſul, quæſtor, princeps, cole rura vel urbes,
  De te, ne dubites, fabula ſemper erit.

---

88. *Certum eſt*, non rarò apud poëtas accipitur pro deliberatum ac conſtitutum eſt : plerumque tunc adjungitur dativus cum infinitivo, ut certum eſt mihi ire in Hiſpaniam. Nonnunquam dativus ſubintelligitur, ut apud Virgilium 10. *Eglog.*

Certum eſt in ſilvis inter ſpelæa ferarum
Malle pati.

Certum eſt hominem eludere. *Plaut. Amph.* 1. 1. 109. Ita facere certum eſt. *Ter. Eunuch.* 1. 2. 108.

88. *Fecit & ille benè.*

Si chartæ ſileant, quod benè feceris. *Hor. l.* 4. *Od.* 8.

Et

Dî benè fecerunt, inopis quod, &c. *Id. l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 17.

Benè facis. Rus ibo. *Ter. Eunuch.* 1. 2. 106. Benè feciſti. Gra iam ego maximam. *Ibid.* 5. 9. 61.

92. *Ne dubites.*

N dubita, nam vera vides. *Virg.* 3. *Æneid.*

92. *Fabula*, id eſt *ſermo*. Fabula propriè eſt ſermo & rumor populi, & res paſſim vulgata, etiamſi vera ſit, à fando dicta, ut ait Varro. Juvenal. *Satyr.* 1. *v.* 145.

It nova nec triſtis per cunctas fabula cœnas.

Id eſt, recens & ſubitus rumor ſine triſtitia ſpargitur per omnia convivia.

Lupus in fabula, id eſt *in ſermone*. *Terent. Adelph.* 4. 1. 21. Illic fabula pro familiari colloquio ſumitur.

Umidius quidam, non longa eſt fabula, dives.
Hor. l. 1. *Sat.* 1. *v.* 95.

FABULA II.

Membra & Stomachus.

DEBUERAT primùm reges mea dicere muſa,
  E quorum pendet noſtra ſalute ſalus.
Munia ſi ſpectas, Gaſter eſt regis imago:
  Si doleat Gaſter, corpus & omne dolet.
Pertæſa aſſiduos olli impendiſſe labores,
  Se voluêre gravi ſolvere membra jugo;
Nobilium ritu decretum vivere: Gaſter
  Sic lætos degit continuoſque dies.
Noſtram tolle operam, veſcetur inanibus auris,
  Ceu jumenta gravis nos premit uſque labor.
At quorſùm? Ut pigro benè ſit, ſaturare voracem
  Totum opus eſt nobis; nos nihil ille juvat.
Ceſſemus: niſi ceſſantes non poſſe beari,
  Exemplo aſſiduus nos docet ipſe ſuo.
Dictum res ſequitur: jam brachia ferre laborem,
  Palmæ eſcas renuunt prendere, & ire pedes.

---

7. *Decretum eſt.* Mihi bibere decretum aquam eſt. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 36. Conſumat, perdat, decretum eſt pati. *Terent. Heaut* 3 1. 56.

10. *Jumenta.* Ita vocantur animalia, quæ vel ſarcinas gerunt, vel currus trahunt, vel terram excolunt. Dicuntur jumenta à juvando ſcilicet, quòd hominum laborem juvent.

> Ætolis onerata plagis jumenta, caneſque. *Hor.* 1. *Epiſt.* 18.
> Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
> Porticibus? *Juvenal.* 4 *Sat.*

15. *Dictum*, factum, *i. e.* citò. Dictum, factum, huc abiit Clitipho. *Ter. Heaut.* 5. 1 31.

16. *Palmæ.* Palma eſt propriè vola manûs, ſeu pars manûs plana & ex parte concava, quanquam non raró pro totâ manu acceptam palmam legimus.

Digitized by Google

I nunc, exclamant, tibi quære cibaria, Gaſter;
Erroris pœnas gens malè cauta dedit.
Langueſcunt ſenſim, vacuantur ſanguine venæ,
Nec damna exhauſtum cor reparare valet.
Hinc omnes artus diſpendia magna tulerunt,
Et periit totus, qui fuit antè, vigor.
Quem conjurati pigrum dixêre, fatentur
Communi ante omnes conſuluiſſe bono.
Præſtat idem officium majeſtas regia plebi,
Accipit & donat, ſic ope penſat opem.
Quiſque refert omnes in regis commoda curas,
Cuique dat & curis rex alimenta ſuis.
Rex alit artifices operis mercede diurni;
Rex mercatorum providus auget opes.
Protegit agricolas, bellantibus æra miniſtrat,
Quin fovet & Themidis, Pieridumque decus.
Dona locis centum largus partitur, & unus
Eſt regni columen præſidiumque ſui.
Fertur idem multâ dixiſſe Menenius arte,
Linquere dùm patres plebs malè ſana parat.

Huic Chromis amplexo tremulis altaria palmis
Demetit enſe caput. *Ovid. Metam. l. 4. v. 103.*
——— Teneras arcebant vincula palmas.
Virg. Æneid. l. 2. v. 406.

17. *I nunc.* Formula increpantium.
I nunc, & ventis animam committe. *Juvenal. 12. Sat.*
I nunc, argentum & marmor vetus, æraque & artes
Suſpice. *Horat. l. 1. Epiſt. 6.*

23. *Conjurati.*
Hinc conjuratis talia dicta dedit. *Ovid. 5. Faſt.*

24. *Antè* pro *plùs.* Eum, quem ante me diligo, i. e. pluſquàm me. *Cic. 8. Attic. 24.*
O felix una ante alias Priameia virgo
Virg. Æneid. l. 3. v. 321.

Indociles clamant: ſenibus ceſsêre tyrannis
  Faſces, divitiæ, ſummus honoris apex.
At nos intereà genus obruit omne malorum,
  Durum vectigal, prægrave Martis opus.
Jamque urbis portas magno eſt egreſſa tumultu,
  Quærere ſemotas turba parata plagas.
Tùm medios inter prudens Agrippa Quirites
  Surgit, & hos ſimiles artubus eſſe docet.
Fabella ante alias totum celebrata per orbem,
  Officio valuit reddere quemque ſuo.

FABULA III.

Lupus factus Paſtor.

Tollere vicinis vix ullam ab ovilibus agnam
Quòd poſſet, perhibent ingemuiſſe lupum.
Vertamus nos ad vulpinas (expedit) artes,
Perſonamque novam ſuſtineamus, ait.
Protinùs induitur veſtem upilionis, & aptat
Hirſutis humeris vile vetuſque ſagum :
Ruſtica & adjicitur de collo fiſtula pendens,
Fitque pedum extremâ parte recurva ſalix ;
Certiùs ut fallat, velit inſcripſiſſe galero :
Hujus ego Lycidas paſtor amorque gregis.
Dein tacito Lycidas ſycophanta accedere greſſu,
Crura ſuperpònens anteriora pedo.
Tum Lycidam, verum Lycidàm ſopor altus habebat,
Gramineo ſtratum languida membra toro.

---

5. *Upilionis.* Upilio idem eſt ac opilio, ſeu quaſi ovilio, hoc eſt, qui oves cuſtodit.

Venit & upilio, tardi venêre bubulci. *Virg.* 10. *Eglog.*

11. *Sycophanta.* Græcè συκοφάντης, obſervator & delator ejus, qui ficos furto ſuſtuliſſet, πάρα τὸ συκα φαίνειν, id eſt, ab indicando eum, qui ficos ederat.

Sycophanta pro mendace, cavillatore, doloſo ponitur ; quod hinc originem habuit. E duobus ſervis græci cujuſdam viri, alter ficus, quæ domi paratæ erant, abſumpſerat ; alter, quis abſtuliſſet, ignorabat. Quærente eas domino, ſons innocentem accuſabat. Herus ut veritatem exploraret, haurire utrumque ſubtepidam aquam juſſit, deinde evomere. Tunc primùm ortum ſycophantæ vocabulum, eo ita appellato, qui ficos devoraverat, culpamque in innocentem cavillando ac mentiendo rejecerat.

Sic ſycophantæ originem explicat Robertus-Stephanus.

Digitized by Google

Sopituſque canis ſimul & ſopita cicuta :
Securas pariter ſomnus habebat oves.
Parcit mentitus paſtor turbare quietem,
Ad ſua jam meditans ducere luſtra gregem.
Nil factum cenſet, vocem niſi veſtibus addat :
Incipit hinc ferri res benè cœpta, retrò.
Exprimere humanam vocem haud potis ore ferino,
Fauce ſonum trudit, conſonat undè nemus.
Fraus patet : exciti, ſtrepitu abrumpente ſoporem,
Balantes, latrans, ductor & ipſe gregis.
Nec fugere obſeſſus, nec ſe defendere latro
Evalet, implicitus colla pedeſque ſago.
Subdolus uſque aliquâ ſe prodit parte : luporum
Utere more lupus, ſic magè tutus ages.

---

18. *Meditans ducere.* Vide notam prologi, qui eſt ad caput fabularum. v. 15.

22. *Undè*, aliquandò ponitur relativè, & ſignificat propter quod.

Undè, *i. e.* propter quam cauſam.

——— Undè frequentia Mercuriale
Impoſuêre mihi cognomen compita. *Hor. l.* 2. *Sat.* 3.
——— Undè etiam trimetris accreſcere juſſit
Nomen ïambeis. *Idem*, *Art. poët.*

24. *Latrans.* Latrantem pro cane dixit Phædrus, *l.* 3. *f.* 11.
Cui ſenex contrà latrans, *i. e.* canis ſenex.
Vertit in immeriti fatum latrantis. *Ovid.* 8. *Metam.*

26. *Evalet.*
Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum
Evaluit. *Virg.* 7. *Æneid.* v. 757.

28. *Utere more.*
——— Utere more Dei. *Ovid.* 2. *Triſt.* 40.
(Quod idem, ac age, ut Deus.)

FABULA IV,

Cujus argumentum ex quartâ Phædri Fabulâ, lib. 1. deſumptum eſt.

Ranæ Regem poſtulantes.

NATIO ranarum quondàm pertæſa gemebat
  Se populi ſolis legibus uſque regi.
Juppiter (inſtabant tot queſtibus) eſſe paludes
  Principis unius ſub ditione dedit.
Pacificus ranis demiſſus ab æthere princeps
  Percuſſas ſubito murmure movit aquas.
Diffugêre genus ſtolidum : formidine preſſas
  Contexêre omnes juncus, arundo, lutum.
Tota diù plebes tremit illius ora tueri,
  Qui novus ignaris creditur eſſe gigas.
Ligneolus ſed erat princeps. Studio una videndi
  Audet prima ſuos deſeruiſſe lares.
Accedit tacitè, gravitas hanc regia terret :
  Altera ſubſequitur ; tertia deindè ſubit.
Innumeræ veniunt, animis reverentia fugit,
  Et regis ſupra proſiluêre caput.

---

1. *Natio.* Phædr. *l.* 1. *f.* 29. de ranis. Natio, ait, ſeparatæ. Idem, *l.* 2. *f.* 29. Eſt ardelionum quædam romæ natio.

6. *Murmure.* Murmur eſt propriè lenis aquæ ſtrepitus; ſed latiùs adhibetur pro quolibet ſtrepitu.

Illi indignantes magno cum murmure montis. *Virg.* 1. *Æn.*
Murmure blanditiæ minimo tranſire ſolebant.
Ovid. 4 *Metam.*

11. *Ligneolus.* Diminutivum lignei. Ad Quintum fratrem hanc ſcripſi ante lucem ad lychnum ligneolum. *Cic. l.* 3. Qui in ligneolis hominum figuris geſtus moveat. *Apuleius, de mundo, p.* 70.

Rex bonus hæc impunè pati & remanere quietus :
Aures obtuſæ protinùs indè Jovis.
Qui ſeſe moveat regem, Pater optime Divûm,
Nobis mitte, aiunt : à Jove miſſa gruis.
Dilacerat paſſim miſeras, eviſcerat, haurit,
Ut jubet aut feritas, aut maleſuada fames.
Tùm gravibus gens preſſa malis iterare querelas,
Et dare reſponſum, voce minante, Deus.
Veſtrone arbitrio nos creditis eſſe regendos ?
Servanda imperii forma prioris erat.
Aſt ubi mutata eſt, vobis ego deindè benignum
Quòd regem dederim, debuit eſſe ſatis.
Nunc vos, ſi quid adhuc ſapitis, perferte tyrannum,
Alter ne damno vos graviore premat.

---

20. *Nobis mitte.*
Et quos Hippocoon antiquis miſit amicis. *Ovid. Metam.*

FABULA V,

Cujus argumentum ex octavâ Phædri Fabulâ, lib. 4 deſumptum eſt.

Vulpes & Hircus.

IBAT iter vulpes alacris, comes ibat & hircus
Cui non par celſis cornibus ullus erat;
Illa canebatur fraudum famoſa magiſtra,
Ut minimi hic naſi, ſic erat ingenii.
Cùm premeret ſitis, in puteum deſcendit uterque,
Et cupidè pleno proluit ora vado.
Ut largè hauſerunt, hirco tùm callida vulpes:
Optime compotor, jam quid agemus, ait?
Scilicet haud ſatis eſt lympham duxiſſe ſalubrem;
Quærendum, in campos quo revehamur, iter.
Ceu ſcalam, in ſublime pedes & cornua tolle,
Dentque mihi firmos, parjete fulta, gradus.
Per lumbos repam, aſſurgens & cornibus, arvum
Aſſequar; ex hoc te carcere deindè traham.

---

1. *Ibat iter.* Ire iter. *Cic. lib. 3. Qu. fratri Epiſt 4.*
——— Sæpiùs iſſet iter. *Ovid. de Remed. amoris. v. 56.*

3. *Canebatur.* Canere *pro* celebrare.
— Æquali numero regemque canebant, *i. e.* celebrabant. *Virg. 7. Æneid.*

8. *Compotor.* Bona ſuis comitibus, compotoribuſque deſcripſit. *Cic. 5. in ant. 22.*

9. *Duxiſſe*, eſt idem ac bibiſſe.
Hîc innocentis pocula Lesbii
Duces ſub umbrâ *Horat. l. 1. Od. 15.*
——— De quo ſextarius alter
Ducitur ante cibum, *i. e.* bibitur. *Juven. 6. Sat.*

14. *Traham.*
Ingemuit Chiron traxitque è corpore ferrum. *Ovid. 5.*
Ex puteis aquam calidam trahi. *Cic. 1, de Nat. Deorum. 25.*

E 5

Per barbam hanc, inſit comes, inventum benè; felix
Cui viget, ut tibi, mens, ingeniumque ſagax.
Non ego ſic ſolers, tibi, miſsâ ambage, fatebor;
Hæc foret ars nunquàm marte reperta meo.
Ociùs è puteo vulpes levis exilit, hircum
In mediâ hærentem vafra reliquit aquâ.
Egregio & ſermone docens hortatur, acerbam
Condiſcat forti pectore ferre vicem.
Munere ſi Divûm, tot ſanæ mentis haberes
Semina, denſa gerit quot tibi barba pilos,
Non te miſiſſes puteum malè cautus in imum.
Illinc evâſi, vive, valeque, comes.
Si potes, emergas; res expedienda morari
Me prohibet. Finem proſpice, quidquid agas.

---

17. *Miſsâ ambage*, *i. e.* ſine circuitu.

——— Miſſis ambagibus, ...
Accipe quâ ratione queas diteſcere. *Horat. l.* 2. *Sat.* 5.
Abnuit oranti, ſed verum, ambage remotâ,
Addidit, & dubio terruit ore virum.
Ovid. 3. *Faſt.* 337.

18. *Marte meo.* Quoties noſtro ingenio propriiſque viribus rem peragimus, noſtro marte peragere dicimur. Hanc igitur partem relictam explebimus nullis adminiculis, ſed, ut dicitur, marte noſtro. *Cic.* 3. *Offic.* 34.

Qui plura cupit exempla, legat Eraſmum in ſuis adagiis.

22. *Condiſcat.* Condiſco, idem, quod diſco, ſignificat. Iſtuc aliis dare condidici. *Plaut. Pſeud.* 4. 1. 35.

——— Pauperiem pati
Robuſtus acri militiâ puer
Condiſcat. *Horat. l.* 3. *Od.* 2.

24. *Semina.*

Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet. *Ovid.* 5. *Faſt.* 64.

FABULA VI,

Cujus argumentum ex quartâ Phædri Fabulâ, lib. 2. deſumptum eſt.

Aquila, Aper & Felis.

ALES ſacra Jovi ſummâ, mediâ arbore feles,
Sus imâ, fetus depoſuêre ſuos.
Sic benè partitis vivunt dùm ſedibus omnes,
Vicinæ tentat nulla nocere ſuæ.
Et ſine diſſidiis, privatæ quæque culinæ
Curam cum catulis ſedula mater habet.
Impia ſed ſpargit rixarum ſemina felis,
Jus violare ſacri fœderis auſa dolo.
Repſit ut ad volucrem, mors, inquit, proxima jam nos
(Matribus aut quod idem) pignora noſtra premit.
Aſpice : ſubjectam ſus effodit improba terram,
Continuoſque ſcrobes inſidioſa cavat.
A radice imâ molitur vertere quercum,
Fœtibus ut noſtris funera dira paret.
Omnes, haud dubitent, lapſâ arbore, condet in alvo ;
Uni ſi parcat, damna ferenda putem.

---

10. *Pignora* aliquandò pro filiis accipiuntur. Ovidius, *Heroïd. Epiſt.* 6. Hypſipylem ſic inducit loquentem de Medeâ.

Spargere quæ fratris potuit laniata per agros
Corpora, pignoribus parceret illa meis.

Obſecratio illa judicum per cariſſima pignora. *Quintil. lib.* 6. *cap.* 2.

13. *Molitur.*

—— Æthereâ molitur condere nube. *Ovid.* 15. *Metam.*

Hanc terrore ſimul complevit perfida ſedem,
  Ediderat partum queis aper, antra petit.
Cara mihi ante alias vicina, ſuſurrat in aurem:
  Audi unum, doleam quod latuiſſe tibi.
Vel ſemel à laribus ſi fors excedis, inermes
  Porcellos rapiet ſæva miniſtra Jovis;
Arcanum tibi quod credo, tu prodere noli;
  Sin minùs, in me aquilæ vindicis ira ruet.
Immiſsâ his pariter laribus formidine, tuto
  Se tacitè properat condere prava cavo.
Ire foras, ſoboli & jejunæ quærere victum
  Heu! metuebat avis, plus metuebat aper.
O nimiùm ſtolidas, quæ non vidêre priores
  Officii partes eſſe levare famem.
Cæcus prolis amor ſervare cubilia cogit,
  Quòd timet hæc raptum, quòd timet illa ſcrobem.

---

17. *Simul.* Sine particulis ac, vel atque, ſæpè ſignificat, ſtatim, cùm, poſtquàm, ſimul ac. Simul inflavit, à peritis agnoſcitur. *Cic.* 4. *Acad.* 86.

At ſimul Æneas fumantes pulvere campos
Proſpexit. *Virg. Æneid* 11
Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,
Aquila eſt parata rapere porcellos tibi. *Phædr. l.* 2. *f.* 4.

24. *Sin minùs*, &c.

——— Parcite, Divi,
Sin minùs; alta cadens obruat unda caput.
Ovid. l 1. *Triſt.* 2. *Eleg.*

Quem ſi leges, lætabor, ſin autem minus:
Habebunt certè, quo ſe oblectent, poſteri.
Phædr. l. 3. *Prolog.*

29. *Vidêre.* Pro *cognoſcere, animadvertere.* Inclamando quidem, video eum eſſe robuſtum. *Cic. in Verr* 2. 48.

Noctua ut vidit ſibi nullum eſſe auxilium.
Phædr. l. 3. *Fab.* 16.

Omnes lenta fames confecit; funere eodem
Gens aquilina perit, genſque ſuilla ſimul.
Felibus hinc avidis largiſſima copia victûs.
Quid non concinnat ſubdola lingua mali?
Pyxide Pandoræ miſerandum erupit in orbem
Multa lues, ſed non tetrior ulla dolo.

FABULA VII.

Ebrioſus & ejus Uxor.

Cuique ſuum eſt vitium, ſemper quò ſpontè recurrit;
Non valet undè metus nec revocare pudor.
Hinc lepida in memorem revocatur fabula mentem;
Quæ cano, ab exemplis omnia pondus habent.
Neſcio quis potor, Sileno dignus alumnus,
Et mentem & vires fregit opeſque ſuas.
Dedita gens vino medium vix attigit ævum,
Jam finem nummis ſentit adeſſe ſuis.
Uxor ut hunc vidit baccho de more tumentem,
Dùm mens in teſtâ tota ſepulta jacet,
Lumine ceu caſſum tollit, conditque ſepulchro;
Illic ferventis vis benè coēta meri.
Vir ſomno excitus, ſe circum, inſignia mortis,
Veſtem atram cernit funereaſque faces.

---

1. *Cuique.* Cuique ſuus mos. *Ter. Phorm.* 2. 4. 14.

4. *Pondus.* Tranſlatè *pro* authoritate. Perſona non qualiſcunque teſtimonii, pondus habet. *Cic. in Topic.*

——— An habent & ſomnia pondus. *Ovid.* 9. *Metam.*

——— Dictaque pondus habent. *Idem*, 3. *Faſt.*

Jam pondus dices nomen habere meum. *Idem.* 3. *de Pont.*

6. *Fregit.*

Nunc animum pietas maternaque nomina frangunt. *Ovid.* 8. *Metam.*

Non potuit vires frangere. *Cic.* 3. *Tuſcul.* 36. Vis quæ ſummas frangit, infirmatque opes. *Idem*, *pro R. P.* 28. Poſt fractas opes latinorum. *Tit. Liv.* 2. 21.

Proh Superi! ecquid id eſt? Uxor-ne, ait, orba marito?
Proxima ſandapilæ protinùs illa ſtetit;
Et veſte & larvâ referens & voce Megæram,
Juſcula tartareæ porrigit apta gulæ.
Se ratus è ſtygiis conjux jam civibus unum;
Fare, quis es? Spectrum, ſum coqua Ditis, ait;
Ater quos tumulus tegit, his fero pabula. Conjux
Haud reputans: num fers pocula plena mero?

---

16. *Sandapilæ.* Sandapila eſt feretri genus, quo mortui efferebantur.

—— Tollitur altè
Grandis in anguſtâ ſarcina ſandapilâ.
Martial. l. 8. Epig. 74.

Inter carnifices & fabros ſandapilarum. *Juvenal.* 8. *Sat.*

18. *Juſcula.* Juſculum frigidum ſorbere. *Cato de re ruſticâ. cap.* 156.

FABULA VIII.

Podagra & Aranea.

Orcus cùm podagram, ſimul & genuiſſet arachnem,
Quàm vobis, natæ, gloria grandis! ait;
Vos formidandæ pariter mortalibus eſtis.
At videamus, ubi vos habitare juvet.
Aſpicite hinc luteis anguſta mapalia tectis,
Indè auro rutilas, atria vaſta, domos.
His vos exopto conſidere ſedibus; eia
En paleæ in digitis fragmina bina meis.
Conficite unanimes pactum, vel ducite ſortem.
Telæ opifex, vilis mî caſa ſordet, ait.
Altera, quæ medicis oppleta palatia cernit,
Non ibi ſe placidam vivere poſſe putat.
Ergò legit caſulam; tum lignatoris egeni,
Gaudens in lato pollice tota cubat.
Hîc me nulla dies, inquit, patietur inertem,
Nec Pœon coget vaſa movere loco.
Altera ſed pictis laquearibus hæſit, in omnes
Ceu fuerint annos illa locata ſibi.

---

2. *Grandis.*
Clare Mœcenas, mearum
Grande decus, columenque rerum. *Horat.* 2 *Od.* 17.

16. *Pæon* Vir medicæ artis peritiſſimus, quem Homerus, libro 5 Iliados ſcribit curaſſe Plutonem ab Hercule ſauciatum.

18. *Locata.* Locare hîc ſignificat utendum alicui conducenti dare.
Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis. *Juven.* 3. *Sat.*
Agri cenſoribus locati ſunt. *Cic.* 2. *contrà Rull.* 49

Digitized by Google

Feſtinat poſitura lares; jam tela peracta;
Captaque penſilibus muſcula multa dolis.
At fragiles ſcopis ſerva abſtulit improba caſſes:
Quin & bis textum bis laceravit opus.
In nova araneolus tigna exportare penates
Cogitur, heu! quoties ſol novus aſtra fugat.
Atque tot impenſos fruſtrà periiſſe labores
Indignans, podagræ ruſtica tecta petit.
Hæc erat in campis, ægram ſexcenta premebant
Quam mala, araneoli ſed graviora malis.
Secum hoſpes miſeram duxit, ſeu ligna ſecanda,
Vertenda aut tellus, ſive novandus ager.
Jam plus dimidio eſt, aiunt, curata podagra,
Si fuerit duris exagitata modis.
Tunc illa: ah! tantos nequeo perferre labores;
Mutemus, pacto fœdere, tecta, ſoror.
Dicis ita: haud dictum revocaveris, inquit arachne,
Stramineam properat deindè ſubire caſam:
Hîc nulli ſcoparum ictus, ancillaque nulla,
Securo ſtabilem quæ vetet eſſe loco.
At podagra irrepit nitidas in præſulis ædes,
Purpureo affixum quem tenet uſque toro.
Ægro adhibent herbas, ſuccos, medicamina mille,
Augeri medicâ non pudet arte malum.
Quàm benè mutarunt cautæ ſua tecta ſorores,
Cùm voti hæc fuerit compos, & illa ſui.

---

37. *Ictus.* Phaëton ictu fulminis deflagravit. *Cic.* 3. *Offic.* 94.
——Sternebat fulminis ictu. *Ovid.* 12. *Metam.*
Notior eſt factus Capaneus à fulminis ictu.
Ovid. l. 3. *de Ponto. Epiſt.* 1.

FABULA IX,

Cujus argumentum ex undecimâ Phædri Fabulâ, lib. 1. deſumptum eſt.

Lupus & Ciconia.

QUALESCUNQUE cibos mos eſt glutire luporum.
Feſtis quidam epulis fors lupus intererat;
Cùm nimiùm præceps eſcas intruderet alvo,
Hunc letho ingluvies improba penè dedit.
Scilicet os imis tranſverſum faucibus hæſit.
Protinùs obſtructo gutture mutus hiat.
Illo nequicquam frendente ciconia greſſum
Huc, veluti cœlo miſſa favente, tulit.
Signa dedit nutu ſupplex lupus; advolat ales,
Et properat medicâ ferre levamen ope.
Oſſe ſed extracto, benefacti præmia poſcit.
Præmia tu! rides, ô bona, ſalvus ait.
Cervicem extraxti noſtro de gutture felix
Incolumem, merces hæccine parva tibi?
I procul, ingrata es: tibi ſi quæ cura ſalutis,
Proxima tu nunquàm dentibus eſto meis.

---

1. *Glutire* eſt cibum non guſtatum abſorbere.
— Quas tunc epulas ipſum glutiſſe putamus
Induperatorem? *Juven.* 4. *Sat.*

9. *Signa.*
Signaque dat nutu, ſollicitatque notis. *Ovid.* 1. *Faſt.*

FABULA X.

Leo ab Homine proſtratus.

PICTA palàm extabat moles immenſa leonis;
Unus quem victum calce premebat homo.
Hinc nimis exultans caneret cùm turba triumphum,
Garrula præteriens obſtruit ora leo.
Vincitis hîc, fateor, ſed vos pictura fefellit;
Jus ita fingendi ſcilicet artis erat.
Æquiùs à noſtrâ ſtaret victoria gente,
Pingere ſi fuerit doctus & ipſe leo.

---

4. *Præteriens.*
A populo ſaxis prætereunte petor. *Ovid. de Nuce, v. 2.*
Quòd monſtror digito prætereuntium. *Horat. l. 4. Od. 2.*

8. *Pingere doctus.*
Ille quidem jaculo quamvis diſtantia miſſo
Figere doctus erat. *Ovid. l. 5. Metam.*
Collaque velocis flectere doctus equi.
Idem. 2. lib. ex Pont. 9. Epiſt. v. 58.

FABULA XI,

Cujus argumentum ex ſecundâ Phædri Fabulâ, lib. 4. deſumptum eſt.

Vulpes & Racemi.

VASCONIS, aut ſaltem normannæ filia vulpes
  Eſurie nimiâ penè coacta mori,
Suſpicit è ſummâ pendentes vite racemos,
  Quos jam maturos pelle rubente putat.
Quàm velit his explere famem! at contingere nullo
  Ut potuit ſaltu, talia dicta dedit:
Uva eſt cruda nimis, ſolis calonibus apta.
  Dixiſſe hæc ſatius, quàm gemuiſſe fuit.

7. *Cruda.* Seu nondùm maturæ.
Poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur; ſi matura & cocta, decidunt. *Cic. de Senect.* 71.

Digitized by Google

FABULA XII.

Cycnus & Coquus.

Alituum omne genus vaſtæ area chortis alebat;
Illic ceu fratres cycnus & anſer erant.
Alter natus hero nitidis ſpectacula pennis,
Carne alter pingui prandia lauta dare.
Seſe plus æquo jactabat uterque beatum,
Hoſpes hic hortorum quòd foret, ille domûs.
Caſtelli foſſas, tanquam ſua xyſta, frequentant,
Certat ubi lepidis ludere uterque modis.
Nunc celeres videas liquidum decurrere campum,
Nunc ambos alacres fronte natare pari.
Nunc ſeſe totos lymphis immergere, votum
Non explere tamen poſſe, lavando, ſuum.
Pro rauco imprudens blandum capit anſere cycnum,
Hauſit qui juſto pocula plura coquus.

---

7. *Xyſta.* Xyſtum vel xyſtus eſt ambulacrum. Cùm ambularem in xyſto. *Cic. de Clar. Orat.* 10.

Præcurrit alium in xyſtum. *Phædr. l.* 5. *Fab.* 5.

Calepinus notat, quòd latini xyſtos vocant porticus tectas, xyſta autem ambulationes ſubdiales, *i. e.* quæ erant ſub dio, ſeu ſub ipſo aëre & ſine tecto.

12. *Lavando.* Lavare idem quod lavari.

Abeunt lavatum, perſtrepunt. *Ter. Eunuch.* 3. 5. 44.

Ne longum faciam, dùm tu quadrante lavatum
Rex ibis. *Horat. l.* 1. *Sat.* 3.

——— In medio qui
Scripta foro recitent, ſunt multi, quique lavantes.
Ibid. Sat. 4.

Et ſtudio incaſsùm videas geſtire lavandi.
Virg. Georg. de quibuſdam pelagi volucribus.

14. *Juſto.* Ablativus n. ſingul. vice adverbii, ut, longius juſto, id eſt, longius, quàm par eſt. Membra longius juſto. *Quintil. l.* 9. *cap.* 4. Juſto ferocior Marcellus. *Velleïus.*

Plenior ut ſi quos delectet copia juſto. *Hor. l.* 1. *Sat.* 1.

Et volucrem in fervens mox injecturus ahenum,
Jam tenet immiti colla ſecanda manu.
Flet ſolito moriturus olor ſua funera cantu;
Obſtupet ad modulos, qui jugulare parat.
Errorem ſubitò deponens; ergo-ne talis
Ollâ cantator decoqueretur? ait.
Hanc, Superi, cohibete manum, ne guttur amatæ
Rumpat, dulcè adeò quæ modulatur, avi.
Sic ubi nos urgent caſus poſt terga ſequaces,
Nil rebus noſtris blanda loquela nocet.

---

20. *Cantator.*

Cantator cycnus funeris ipſe fui. *Mart. l.* 13. 77.

22. *Rumpere.*

——— Quam ſe parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
Rumpit. *Ovid.* 15. *Metam.*

22. *Dulcè*, adverb.

Reddes dulcè loqui, reddes ridere decorum.
Horat. l. 1. *Epiſt.* 7.

Quin etiam rami poſitis lugere videntur
Frondibus, & nullæ dulcè queruntur aves.
Ovid. Heroid. 15. *Epiſt.*

EABULA XIII,

Lupi & Oves.

HORRIDA ſævierant per mille atque ampliùs annos
Bella, lupos inter lanigeroſque greges.
Ponuntur tandem ſtudiis concordibus arma,
Utrumque ut reparet mutua damna genus.
Quippè lupis agnæ convivia ſæpè dedêrunt,
Paſtori & veſtem ſæpè dedere lupi.
His exoptatas fas non erat edere cædes,
Nec fas lanigero paſcua adire gregi.
Dùmque fruebantur partis, trepidare videres:
Ergò datâ hinc illinc fœdera pacta fide;
Lanigeræque, vades pacis, miſêre moloſſos:
Miſêre & lupulos caſtra lupina ſuos.
Re per legatos ſolemni more peractâ,
Pacificos cœpit degere quiſque dies.
At poſtquàm lupulis acceſſit robur & ætas,
Se patrio agnôrunt cædis amore lupos.
Ecce ſuæ captant accommoda tempora fraudi,
E caulis paſtor cùm procul omnis abeſt.
Faucibus eliſis, perpaſti corporis agnos
Sanguineo raptant dente, nemuſque petunt.

12. *Lupulos.* Lupulus eſt diminutivum lupi. Apud Apuleium, celebrem oratorem & philoſophum, reperitur vox lupula, quæ eſt diminutivum vocis lupæ; ſcilicet Apuleius dicit. 5. *Met. p.* 164. *Elm.* Perfidæ lupulæ magnis conatibus inſidias tibi comparant.

Cùm parva lupa dici poſſit lupula, parvi lupi mihi videntur dici poſſe lupuli.

Digitized by Google

Admonitis furtim à ſociis cæſi antè moloſſi,
Fidentes pacto quos ſopor altus habet.
Vix rem (tam properata fuit) ſensêre, reſecti
Fruſtatim; elapſus non canis ullus erat.
Exemplo tali quivis ediſcere poſſit
Contiuua in pravos bella movenda ſibi.
Optima pax, fateor; ſed quid pax proderit, hoſti
Si non ſit curæ relligioſa fides?

FABULA XIV.

Leo ſenio conſectus.

AMISSOS ſenio priſcos deflebat honores,
   Jam non ſilvarum terror, ut antè, leo;
Invalidus quòd erat, ſua plebs hinc fortis; in illum
   Dente lupus, cornu bos, pede ſævit equus.
Vixque rugire leo valet annis fractus, anhelat
   Flebiliter languens, ſemianimiſque jacet.
Fatalem expectat, queſtu ſine, funeris horam,
   Currere & ipſum aſinum cùm ſua ad antra videt;
Ah! nimiùm patior: moriebar ſpontè: ſed eheu!
   Mors gemina eſt calcis verbera ferre tuæ.

7. *Funeris hora.*
Veniſſet mallem funeris hora mihi.
Ovid. l. 5. Triſt. 11. Eleg.

FABULA XV.

Philomela & Prochne.

Dicta priùs Prochne patrio lare ceſſit hirundo ;
Deviaque in ſilvas ſe procul urbe tulit ;
Umbroſo infelix illic Philomela receſſu
Mulcebat teneris tædia longa modis.
Ut germana vales ? Prochne ſubitò occupat ; ex quo
Te vidi, propè jam ſecla peracta decem.
Threiciæ tempus poſt illætabile cædis,
Haud memini in noſtras te remeare domos.
Quæ tibi mens ? Nonne hæc tandem deſerta relinques ?
Quis locus in terris dulcior, illa refert ?
Tùm Prochne : cantas ſi tantùm animantibus, inquit,
Aut cui ruricolæ, quò tibi ſuave melos ?

---

12. *Cui* pro *alicui*.

Tu ſeu donâris, ſeu quid donare voles cui.

Horat. Art. Poet.

——— Malè parvus
Si cui filius eſt, ut abortivus fuit olim
Siſyphus. *Idem. l. 1. Sat.*

12. *Quò* pro *quorsùm*.

Quò mihi fortunas, ſi non conceditur uti ?

Horat. l. 1. Epiſt. 5.

Quò mi, inquit, mutam ſpeciem, ſi vincor ſono ?

Phædr. l. 3. Fab. 18.

13. *Factus*, apud Ciceronem, eumdem quandòque ſenſum habet, ac à naturâ deſtinatus & conſtitutus. Neque ita generati à naturâ ſumus, ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potiùs. *Cic. de Offic.* 103. Ad quam legem non docti, ſed facti. *Idem, pro Milone.*

Factus an egregias adeò ſeceſſus ad artes ?
  Oſtentanda urbi munera tanta Deûm.
Inſuper horrentes nemorum dùm conſpicis umbras,
  Uſque tibi mentem Terei imago ſubit.
Hîc nempè infando ſuccenſus corda furore,
  Heu ! tibi virgineum ſuſtulit ille decus.
Ipſa hæc alto animo defixa injuria, dixit
  Mœſta ſoror, comitem me vetat ire tibi.
Humanos cogor ſi quandò cernere vultus,
  Tùm magis in mentem Terei imago redit.

FABULA XVI.

Femina merſa.

Ut mos nonnullis, ego nunquàm dixero, nil eſt:
Hoc tantùm; mulier flumine rapta perit.
Mî grave cenſetur damnum; digniſſima fletu eſt
Femina, cùm ſit amor deliciæque viri.
At ne quis credat me gratìs iſta locutum,
Quem memorat caſum fabula noſtra, lege.
Amnem dùm mulier lembo tranſmittit, acerbâ
In mediis vitam ſorte reliquit aquis.
Quærere vir properat jam caſſum lumine corpus,
Quò caro cineri funeris adſit honos.
Advênit turba, infandi quæ neſcia casûs,
Amnis lethiferi margine fecit iter.

---

1. *Nil eſt.* Iſtuc quidem ædepol, nihil eſt, nihil herclè quidem hoc. *Plaut. Milit.* 1. 1. 19. Id aliquid nihil eſt. *Terent. Andr.* 2. 1. 34.

Undè hoc, amice? Nihil eſt. *Phædr. l.* 3. *Fab.* 7.

8. *Vitam reliquit.* Virgilius, 3. *Georg. v.* 547, loquens de avibus.

Et illæ
Præcipites altâ vitam ſub nube relinquunt.

Relinquendæ vitæ certus. *Tacit.* 4. *Annal.* 34.

10. *Funeris.* Funus pro exequiis. Funus interim procedit; ſequimur; ad ſepulchrum venimus. *Ter. Andr.* 1. 1. 100.

12. *Margine.* Margo eſt ſtrictè extremitas folii, ſed latè extremitas cujuſlibet rei.

——— Aut ſummi plenâ jam margine libri,
Scriptus & in tergo nondùm finitus Oreſtes. *Juven.* 1. *Sat.*

Margo fluminis. *Varr.* 3. *de R. R. cap.* 5.

——— Nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite. *Ovid.* 1. *Metam.*

Digitized by Google

Vidiſtis-ne meæ veſtigia conjugis, inquit?
Unus, non equidem vidimus ulla, refert.
Ut merſam invenias, facili delabere cymbâ,
Quà prono in præceps volvitur unda vado.
Ne quæras illic, ſubridens excipit alter:
Converſo potiùs lintre reflecte viam.
Quantumvis celeri ſit flumine rapta, rebelle
Indomitam retrò compulit ire caput.
Credo hominem lævo joculatum tempore, quanquam
Haud ſcio femineum ſit-ne rebelle caput.
Quidquid id eſt, mulier fuerit quæ nata repugnax,
Mente repugnaci, dùm morietur, erit.
Hoc vitii metam ſervabit ad uſque ſupremam:
Si fas, & ſecum poſt ſua fata feret.

---

14. *Equidem.* Hæc conjunctio poteſt poni cum verbo cujuſvis perſonæ in utroque numero, quamvis omnes ferè Grammatici contrarium doceant.

Per me equidem ſunt omnia protinùs alba. *Perſ.* 1. *Sat.*
Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo
Conſentire dies. *Idem.* 5. *Sat.*

Emiſſus aliquis è carcere, equidem emiſſus, ut cognoſtis. *Cic. pro Cneio Planco.* 25. Me quicum hæc mulier loquitur? Et equidem tecum *ſuppl.* loquitur. *Plaut. Menech.* 2. 3. 18.

24. *Repugnax.* Quibus dicere Carneades ſolebat, ingenium tuum, Craſſe, vehementer admirans, me ſibi facilem in audiendo, te repugnacem in diſputando eſſe viſum. *Cicer.* 1. *de Orat.*

FABULA XVII.

Muſtela horreum ingreſſa.

Per rimam intravit gracilis prælongaque cellam
  Muſtela, hanc morbi vis tenuârat edax.
Hîc quodcunque cibi eſt, rodit, depaſcitur, alvum
  Implet, nilque ſuæ denegat illa gulæ.
Proh! lardi quantùm periit! quid plura? Fit alvus
  Lata, nitens pellis, turgidulæque genæ.
Septima lucem aurora dedit, poſtquàm helluo largè
  Cœnaſſet; ſubitò concrepuêre fores.

---

1. *Per rimam.*

Fortè per anguſtam tenuis vulpecula rimam
Repſerat. *Horat. l. 1. Epiſt. 7.*

1. *Intravit.*

Si quandò Tibrim vicinaque Tibridis arva
Intrâro. *Virg. 3. Æneid.*

—— Magnas obeuntia terras
Tot maria intravi, duce te, penitùſque repoſtas
Maſſylûm gentes. *Idem. 6. Æneid.*

3. *Quodcunque.* Aliquandò nomen appellativum eſt. Hinc dicit Cicero. *Attic. l. 8. Epiſt. 17.* Quodcunque militum (pro quoſcunque milites) contrahere poteris, contrahe; & 5. *fam.* 19. Quodcunque cepiſſem conſilii.

Quodcunque eſt ſolidæ Cereris, cava machina frangat.
Ovid. 6. Faſt.

Hæc tamen argenti ſupereſt quodcunque paterni.
Juvenal. 6. Sat.

5. *Alvus lata.*

—— Latamque trahens inglorius alvum. *Virg. Georg. 4.*

Per rimam trepidans exire volebat eamdem;
  Trajicere at rursùm non valet illud iter.
Se credit ſolo deceptam errore locorum,
  Huc illuc dubios fertque refertque pedes.
Quàm ſtupeo! eſt, inquit, memini, hic locus ipſe: foramen
  Hoc ſubii, vel ſex, quinque vel antè dies.
Mus videt hærentem: mirari deſine, dixit;
  Plena tibi paulò tùm minùs alvus erat.
Macra cavum repetes, arctum quem macra ſubiſti:
  Complures alios hæc mea dicta petunt.
At ne ſcrutemur plus æquo aliena, ſilere
  Eſt ſatius. Solum te mea verba monent.

---

9. *Volebat.*

—— Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,
Veſtimenta dabat pretioſa. *Hor. l.* 1. *Epiſt.*
Uxorem quondàm ſol cùm vellet ducere.
Phædr. l. 1. *Fab.* 6.

13. *Eſt.* Ipſus eſt, de quo agebam tecum. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 5. Sed quid hoc eſt? Video Getam currentem advenire. Is ipſus eſt. *Idem. Phorm.* 1. 3. 26. Sed eſt-ne hic ipſus? *Adelph.* 1. 2. 53. Id ipſum eſt, quod utile appellatur. *Cic.* 2. *Offic.* 9.

17. *Macra.*

Macra cavum, &c. *Hor. l.* 1. *Epiſt.*

Digitized by Google

FABULA XVIII.

Felis & Mus ſenior.

Sævitia referens Rapilardum & nomine, felis
  (Quem legi, ſcriptor ſi modò vera ferat)
Gentis Alexander felinæ & gloria, gentis
  Attila murinæ diraque peſtis erat.
Horribilem totis latè diffuderat agris
  Alter ſanguineo Cerberus ore metum.
Ergò actus furiis, cunctas viduare parabat
  Muribus, in vaſto quà patet orbe, domos.
Toxica, muſcipulæ, fulcro malè penſilis aſſer,
  Præ fauce hoſtili, nil niſi ludus erant.

---

1. *Referens.* Referre, *pro* eſſe ſimilem, imitari.

——— Si quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret.

Virg. 4. Æneid.

Amiſit filiam quæ non minùs mores ejus, quàm os vultumque referebat, totumque patrem mirâ ſimilitudine exſcripſerat. *Plin. 5. Epiſt.* 16. Senium patris referre, hoc eſt, imitari, reddere. *Colum. l. 7. cap.* 3.

4. *Peſtis.* Tranſlatè dicitur de eo omni quod perniciem affert. Peſtis in amicitiâ cupiditas. *Cic. de amicitiâ.* Iidem Conſules... producti in circo Flaminio in concionem ab illâ furiâ ac peſte patriæ. *Idem, pro Sext.* 33.

Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere & umbræ,
Peſtis acerba boum. *Virg. 3. Georg.*

10. *Præ.* Hæc præpoſitio interdùm comparationem inducit. Non tu quidem vacuus moleſtiis, ſed præ nobis beatus. *Cic. l. 4. Fam. Epiſt.* 4. Ego illum contempſi præ me. *Ter. Eunuch.* 2. 2. 8.

Vidit ut obſcuro latebrarum carcere condi
 Mures, atque ſuis cedere nolle cavis:
Quærere inacceſſo tutas munimine prædas
 Hunc piget, exanimem ſed ſimulare juvat.
Vertice & inverſo, trabe ſe ſuſpendit ab altâ,
 Sacrilegi hamatum reſte tenente pedem.
Conſpiciunt mures; fert pœnas criminis, aiunt,
 Aſſum-ve arripuit, caſeolum-ve latro,
Fortè voravit avem, aut lardo ſe pavit herili,
 Innocuam aut læſit dente vel ungue manum.
Quodcumque eſt, meritò hîc ſuſpenſus furcifer hæret.
 O! dabit exequiis gaudia quanta ſuis!
Dixêre, in lucem taciti mox promere ſenſim
 Roſtellum, cæcas mox remeare domos:
Rursùs & egreſſi, ad quatuor procedere paſſus:
 Tandem prædatum lætior ire cohors.
At ſcenæ en ſpecies ô quàm diverſa! movet ſe
 Mortuus, inque pedes decidit ille ſuos:
Ungue rapit, rapit ore ſimul, quicumque morantur,
 Dùm ſorbet miſeros, ſcommata dura jacit.
Pol, nota eſt, inquit, nobis non unica techna;
 Aſſueti bellis eſt ducis iſte dolus.

---

15. *Vertice.* Vertex *pro* capite.
 Sublimi feriam ſidera vertice. *Hor. l.* 1. *Od.* 1.
 ——— Nudo cui vertice fulva
 Cæſaries. *Virg.* 11. *Æneid.* [illegible]
18. *Aſſum.* Integram famem ad ovum affero. Itaque uſque ad aſſum vitulinum opera perducitur. *Cic. l.* 9. *Fam. Epiſt.* 20.
 ——— At ſimul aſſis
 Miſcueris alixa. *Hor. l.* 2. *Sat.* 2.
25. *Procedere* pro *ultrà ire & progredi.*
 Parcite, oves, nimiùm procedere. *Virg.* 3. *Eglog.*
25. *Paſſus* pro *menſurâ intervallorum.* Triduo ſeptingenta millia paſſuum ambulare. *Cic. pro Quint.* 79.
31. *Techna.* Vide notam fabulæ 3. lib. 2. v. 13.

In mea, juro, omnes venietis tecta; cavatæ
  Sub terris latebræ non mora mortis erunt.
Præcinuit verum pellax fraudum ille magiſter;
  Arte novâ ſtolidum ludit, ut antè, genus.
Se totum aggeſtâ verſatque tegitque farinâ,
  Intactâ veſtis fit magis alba nive.
Porrectum in mactrâ ſeſe componit apertâ:
  Hæc fraus egregiæ calliditatis erat.
Incautè accedens dùm quærit pabula, triſte
  Invenit exitium gens pede prompta brevi.
Câvit odorari tantùm de muribus unus,
  Unus lethifero ſoſpes ab ore fuit.
Multiplices norat fraudes ætate recoctus;
  Quin bello inſignem cauda reciſa probat.
Clamavit procul à felinæ principe gentis:
  Nil fauſtum hæc moles nuntiat alba mihi.
Fraus nova celatur, nil te juvat eſſe farinam;
  Non propiùs, ſaccus ſis licèt, ire velim.
Hæc mus, & ſanè benè; diffidentia, cautus
  Ut norat, cuſtos optima ſemper erit.

---

39. *Mactra.* De eâ ſic loquitur Robertus-Stephanus. Mactra (μακτρα) eſt, ut Gellius ait, arca panaria, mactram linguâ vernaculâ *hucham* appellat, in quâ & panis & conſperſio reconditur; à verbo græco (μακτραω) dicta, quod ſubigere, conſpergere, pinſere, commolere ſignificat.

42. *Invenit.*

Auxilium dùm requirit, exitium invenit.

Phædr. l. 1. f. 31.

51. *Sanè benè.*

Joculare tibi videtur & ſanè benè, (*id eſt, meritò*).

Phædr. l. 4. Prolog.

Benè ſanè. *Ter. Andr. 5. 2. 7.*

Finis Libri tertii.

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER QUARTUS.

FABULA PRIMA.

Paſtor & Mare.

PER multos ovium proventu vixerat annos
  Vir cujus tectis proxima Thetis erat.
Exiguo cenſu, certo tamen, ille beatos
  Condebat ſoles, ambitione procul.
Tandem inſanus opum, quas paſſim ad littora cernis
  Advectas, pectus ſollicitavit amor.
Vendit oves; crédit malè fidis fluctibus aurum;
  Naufragio navis depoſitumque perit.

Digitized by Google

Servare infelix dominus tùm cogitur agnas,
  Heu ! jam non proprii paſtor, ut antè, gregis.
Thyrſida quem pagus quondam, aut Coridona vocabant,
  Nunc eſt Damœtas prætereàque nihil.
Poſt annos aliquot reparat diſpendia queſtu,
  Undè olli multæ rursùs emuntur oves.
Mox placidos portus cùm proſpera vela ſubirent,
  Quippè animas venti continuêre ſuas;
Blandæ, vultis, aquæ, nummos ? Qui donet adite,
  Ædepol, haud noſtros accipietis, ait.
Ludicra non mentis ſunt hæc figmenta jocoſæ,
  Rem geſtam verax pagina noſtra refert.
Denis quos longè ſpes exhibet aſſibus, aſſem
  Anteferas unum, ſi tibi certus adeſt.
Semper vive datâ contentus ſorte, caveto
  Quò vocat ambitio vel mare, cæcus eas.
Hinc unus ſibi dùm plaudet, plus mille querentur
  Quos luſit pelagus, luſit & ambitio.

---

12. *Damœtas.* Hic Damætas erat mercenarius, cui Ægon, paſtor, ſuas oves cuſtodiendas commiſerat, ut patet ex his Virgilii verſibus. 3. *Bucolicâ.*

Dic mihi, Damœta, cujus pecus ? An Melibæi ?
Non, verùm Ægonis : nuper mihi tradidit Ægon.

25. *Plus mille* pro *pluſquam mille.* Ita Virg. *l.* 4. Georg. *v.* 207.

——— Neque enim plus ſeptima ducitur æſtas.

Plus quingenta hominum millia ceciderant. *Tit. Liv. de Bello Macedonico.* Paûlò plus trecenta vehicula amiſſa. *Idem. ibidem.* Plus mihi auri mille eſt modiorum Philippei. *Plaut. Mil. act*: 4. *ſc.* 2. v. 72.

Id eſt, habeo pluſquam mille modiorum auri Philippei.

Promittit montes auri, & miracula pontus;
Crede: datam fallent prædo notuſque fidem.

---

27. *Montes auri* vel aureos montes polliceri, eſt apud latinos proverbialis hyperbole de iis qui immenſa promittunt, à perſarum arrogantiâ qui propter auri venas montes aureos jactabant.

——— Senem per epiſtolas
Pellexit, modò non montes auri pollicens.
Terent. Phorm. 1. 2. 18.

FABULA II.

Formica & Muſca.

FORMICAM muſcamque inter lis magna coorta eſt;
Certabant, quænam pluris habenda foret.
Exclamare prior ſic muſca: ô ſumme Deorum,
Ergone quiſquam adeò cæcus amore ſuî eſt?
Quid? Mihi, quæ cœli ſum filia, vilius æquat
Seſe animal, fœdâ quod malè reptat humo!
Alta, libet quoties, regnantûm tecta frequento,
Conviva & menſis ſæpè recumbo tuis.
Mox tibi potandum ſacrum præguſto cruorem,
Aras cùm taurus cæditur ante tuas.
Per biduum miſera hæc parcè dum vivit inani
E ſtipulâ quam vix traxit anhela domum.
At mihi dic, ſodes, pulchella: in vertice regis
Interdumne ſedes? Hic mihi creber honor.
Virginis & pulchræ fronti oſcula dulcia jungo.
Me crines inter ludere ſæpè juvat.

2. *Pluris habenda.*
— Nemo pluris habendus erit. *Ovid. l.* 1. *Triſt.* 9. *Eleg.* 4.
5. *Cœli.* Cœlum *pro* aëre non rarò uſurpatur.
—— Varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, &c. *Virg.* 1 *Georg.* 52.

Ut penetret hoc in quo nubes, imbres, ventique coguntur; quod & humidum & caliginoſum eſt propter exhalationes terræ. *Cic.* 1. *Tuſcul.* 60.

11. *Per biduum* Biduum eſt ſpatium duorum dierum. Nihil, herclè, aut ſi adeò, bidui aut tridui eſt hæc ſollicitudo. *Ter. Andr.* 26. 9.

Vultûs formoſi ut jucundus emicet albor ,
  Fuci mendacis nil opus arte mihi.
Nativum feſtâ cùm luce augere decorem ,
  Illecebriſque novis vult placuiſſe Venus ,
Solis à muſcis quædam ornamenta requirit ,
  Undè magis videas ora nitere deæ.
I nunc, iſta tua & nobis granaria jacta.
  Dixiſtine ſatis ? parca colona refert.
Atria regnantûm , quoties libet , alta frequentas ;
  At quiſque indignans hîc tibi dira canit.
Et quòd prælibas , aris quæcumque Deorum
  Mactantur , fieri nùm meliora putas ?
Ingrederis quoſcumque locos ; verùm omnibus infert
  Se pariter tecum turba profana locis.
Tu ſacro , fateor , confidis vertice regum :
  Turpi in aſellorum tù quoque fronte ſedes.
Illa tuæ nimis importuna protervia mentis
  Præcipiti pœnas funere ſæpè luit :
Quidam , ais , ornatus facit ora venuſtula : rem non
  Diffiteor , quin eſt , ut fumus , ille niger.
Eſto muſcæ habeat nomen : gravis hæccine cauſa eſt
  Auſis cur laudes ipſa ſonare tuas ?

---

24. *Parca colona.*

——— Habebat

Rus breve cum duro parca colona viro.

Ovid. l. 4. Faſt. 692.

Et condis lectas , parca colona, nuces. *Idem , Nux. v. 72.*

39. *Ipſa.*

——— Quæque ipſe miſerrima vidi.

Virg. 2. Æneid. 5.

——— En ipſe capellas

Protinùs æger ago. *Idem. Eglog. 1. v. 12.*

Quid ? Paraſitus edax an non quoque muſca vocatur ?
Pone ergò faſtum, deſine vana loqui.
Muſcæ, deſpectum genus, extruduntur ab aulâ,
Quoſque vocant muſcas, crux inhonora necat.
Orbis in alterius cùm ſol dominabitur oris,
Te letho languor, bruma, fameſque dabunt.
Tunc collecta mihi duro ſudore per æſtum,
Ornabit menſas largior eſca meas.
Non ego percurram montes valleſque, coacta
Ferre imbris gelidi vim boreæque trucis.
Neſcia triſtitiæ, tecto ſub divite vivam,
Me ſolvet curis priſtina cura novis.
Hinc te, ſit quænam laus vera aut falſa, docebo.
Nequicquàm at tecum tempora perdo; vale.
Cœpto operi, ſine, me reddam. Non area noſtra,
Noſtra nec impletur, deblaterando, penus.

FBULA III.

Hortulanus & pagi Dominus.

QUIDAM (ſic legi) hortenſis fuit artis amator;
Urbanus paulùm, ruſticuluſque ſimul.
Huic erat in quodam pago non ſordidus hortus,
Quin & contiguo grandia ſepta ſolo.
Vallata hîc circùm vivæ munimine ſepis
Lactucam & lapathum læta ferebat humus;
Serta miniſtrabat feſtos ad Phillidis ortus.
Multùm hîc ſerpylli, jeſminiique parùm.
Cùm tam blanda lepus turbaſſet gaudia, noſter
Ad pagi dominum ſic ſua damna queri:
Se lepus immittit furtim exitialis in hortum;
Immunemque replet, veſpere, mane, gulam.
Deridet laqueos; lapides fuſteſque morari
Verſutum nequeunt: eſt magus. Iſte magus?
Non ita: mox, inquit dominus, capietur ab Agre,
Vel ſi vertumnum vinceret ille dolis.
O bone, tollam hoſtem tibi, vel me Numina perdant;
Herculè, cras tollam, nec mora major erit.
Re pactâ, ipſe venit cum ſervis: eia, teramus
Dente cibum: his pullis eſt-ne tenella caro?
Quid latitas? Prodi, verecunda ô filia, quandò
Nubêris? Patri quando dabis generos?
O bone! nunc ſcrutare tuam (me intelligis) arcam.
Tunc cum pulchellâ jungit amicitiam.

---

15. *Agre.* Agre eſt canis venaticus apud Ovidium, *Metam.* lib. 3. v. 212.

Et pedibus Pterelas, & naribus utilis Agre

Serici eam ſtrophii ſelecto munere donat.
    Admonet illa ſibi proxima conſideat.
Unctæ opus intereà fervet lautæque culinæ.
    Sartago crepitat, dextra rotatque veru.
Ex quo confecta eſt hæc duplex perna? Saporis
    Signa dat eximii. Marchio clare, tua eſt.
Accipio geminam lætus, comi ore toparches
    Dixit; cumque ſuis veſcitur egregiè,
Atque canes, & equi, & famuli, omnes dente valentes.
    Hoſpitis inque domo plurima deinde jubet.
Liberè agit, ridet juveniliter, atque puellam
    Excitat ad riſum, vinaque potat heri.
Venantûm exoritur (famem ut explevêre) tumultus;
    Se properè accingunt, exſtimulantque viri.
Dant ſtrepitus tantos lituique & cornua, ut aure
    Obtusâ, ſimplex ruſticus obſtupeat.
Hoc leve: vaſtatur ſed mox olitorius hortus.
    Jam cum pulvinis area culta vale.
Jam cum lactucis, porri & cichorea, valete,
    Et ſimul omne olerum, quod coquat olla, genus.
Intereà lepus inſigni ſub caule jacebat;
    Illum veſtigant, excutiuntque toro.
Ergò fugam arripuit celeri pede, perque foramen,
    Non tamen anguſtum; vaſtus hiatus erat.
Namque (nefas) miſeræ labes ſepi horrida longè
    Et latè domino facta jubente fuit.
Scilicet hos equites minimè decuiſſet ut hortum
    Quiſque ſuo haud vectus deſeruiſſet equo.
Exclamare ſenex: procerum ſic ludere mos eſt.
    Sed quidquid moneat, fert levis aura ſonos.
Centum annis lepores mille haud mala tanta dediſſent,
    Quanta viri unâ horâ, quanta dedêre canes.

Tetrarchæ, lites ipſi componite veſtras;
 Confugere ad reges res malè tuta foret.
Illos, ſi ſapitis, ne veſtra ad bella vocate,
 In veſtrumque ſolum ne date ferre pedem.

Digitized by Google

FABULA IV.

Aſinus & Catellus.

Invita, caveas quidquam tentare, Minervâ;
Gratia, ſi tentas, non erit ulla tibi.
Ruſticus eſt quiſquis, quâvis ſe corrigat arte,
Urbani laudem non tamen ille feret.
Paucis, naſcentes quos lumine vidit amico,
Spontè favens cœlum, poſſe placere dedit.
Hos ſine dote ſuâ gaudere, nec æmulus eſto;
Sin: mea quem ludit fabula, aſellus eris.
Se fore plus lepidum, dignumque putavit amore,
Si ſibi blanditiis conciliaret herum.
Quid! ſecum aiebat; quia blandulus iſte catellus,
Noſtro par domino, par dominæque ſedet;
At mihi perpetuo tundentur verbere lumbi!
Mirum adeò quid agit? Porrigit ille pedem;
Oſcula reddit herus. Mihi num ſimili arte parandum
Pignus amoris idem? Non gravis iſte labor.
Egregios tacitò verſat dùm pectore ſenſus,
Cernit herum lætâ fronte venire ſuum.
Illepidè attollens (detrita erat ungula) calcem,
More novo mentum palpat amanter heri.
Quò plus adjiciat decoris, fera geſtit inepta
Audaci facto jungere dulce melos.

---

3. *Ruſticus* pro *homine*, qui moribus & ingenio incultus eſt.
—— Ruſticus eſt Corydon.
Virg. 2. *Bucol.* v. 56.

Proh ſuperi ! quæ blanditiæ ! quæ gratia cantûs !
Dixit herus joculans, heus mihi, fuſtis, ades.
Fuſtis adeſt, aſinique jocos in ſeria vertit.
Feſtivi luſûs exitus ille fuit.

Digitized by Google

FABULA V.

Pugna Murium & Muſtelarum.

Gens muſtelarum, pariter felina propago
Non ullis optat muribus eſſe benè.
Arcta niſi clauſos tutentur limina, dorſo
Beſtia prælongo, millia, credo, necet.
Ver quoddam innumeris cùm muribus arva repleſſet,
Artophagus princeps agmina ad arma vocat.
At contrà infeſtis muſtelæ occurrere ſignis.
Ancipitem pugnam fama fuiſſe canit.
Agrum non unum, non una caterva cruentat,
Damnaque ſoriceum fert graviora genus.
Hujus tota acies martem undique ſenſit iniquum,
Turbatis cuneis, undique cæſa fuit.
Nequicquam Antarpax, Meridarpax, atque Pſicarpax
Pugnantûm niſus ſuſtinuêre diù.
Pulvere nequicquam nigri, vel reddere tentant
Ignavis animum, vel revocare fugam.
Viribus exhauſtos duri inclementia fati
Tandem adigit mento turpe ferire ſolum.
Diffugêre omnes, pariter cum milite ductor;
Nobilium paſſim corpora ſtrata jacent.
Turba minuta, cavis præſentes nacta latebras,
Evaſit facili tuta labore necem.
Non ita primores, quibus hærent cornua fronti,
Aut ſummum exornat plumea criſta caput.
Seu cupiant ſigno ſeſe oſtentare decoro,
Aut ſit muſtelis major ut indè metus.
Hæc cauſa exitii: nullus telluris hiatus,
Occurrit-ve cavum, rima vel ampla ſatis.

Digitized by Gc

Plebeios contrà minimi excepêre meatus.
  Hoſtica præſertim meſſuit ira duces.
Criſtatum, non parvus obex, caput: amplior æquo
  Pompa fit, anguſto limine, cauſa moræ.
Quoſlibet eludit caſus plebs infima: ſummis
  Effugio ducibus dùm via nulla patet.

FABULA VI.

Simius & Delphinus.

Mos erat argivis, ſecum ut veherentur eâdem
Abjete, ſcurriles ſimius atque canis.
Dùm tales ferret vectores, fluctibus acta,
Palladiâ periit non procul urbe, ratis.
Ni delphines opem, dorſo famulante, tuliſſent,
Æquoreis eſſet quiſque ſepultus aquis.
Sunt nempè humanæ delphines gentis amici;
Credere quis renuat? Plinius ipſe refert.
Quos potuit, letho delphin ſubduxit: eodem
Salvus penè fuit ſimius obſequio.
Deceptus ſpecie delphin, hominem eſſe putavit;
Hunc ſua, ne pereat, ſcandere terga monet.
Sedit fronte gravis; citharœdum cernere credas,
Cujus adhuc memori nomen in orbe ſonat.
Seſſorem delphin ripæ expoſiturus, Athenæ
An magnæ civem te genuêre, rogat?
Sic eſt, ille refert. Ego ſum notiſſimus illic,
Cognatos habeo, lumina prima fori.
Prætor ibi frater meus; huc te ſi qua vocet res,
Officiis uti ne vereare meis.
Delphinus grates referens: Piræus & ipſe
Conſpectûs, inquit, gaudet honore tui?
Hunc ſanè inviſis creber? Creberrimus; idem
Notus, & eſt dudùm junctus amore mihi.

---

1. *Mos erat argivis.*
Virginibus tyriis mos eſt geſtare pharetram.
Virg. 1, Æneid. v. 340.

Cùm

Cùm tali ſtolidus vocitari nomine portum
Neſciret, celebrem credidit eſſe virum.
Et multus pariter fatuus de quâlibet audax
Re loquitur, quanquàm viderit ille nihil.
Deblaterans ſtultè, dùm nota ignotaque garrit,
Fontis, pro fluvii nomine, nomen habet.
Delphinus ridet, vertit caput, inſpicit ora
Fœda, meram cernit raptam ab àquis pecudem;
Et pelago reddit perituram, hominemque propinquâ
Quem pius eripiat de nece, promptus adit.

Digitized by Google

FABULA VII.

Homo & Idolum.

LIGNEUM in ædiculâ divum paganus habebat;
(Dî tales ſurdi, nec tamen aure carent.)
Majore hunc ſumptu quàm ternos ille fovebat,
Immenſas quòd opes hinc ſibi ſperet homo.
Nunc prece, nunc plenâ ſupplex veneratur acerrâ;
Mactat & eximios non ſine flore boves.
Quodlibet idolum non viderat hactenùs orbis,
Cui dapidus pariter plena culina foret.
Non tamen hinc auro, vel agris fit ditior hoſpes;
Alea nulla favet, gratia nulla venit.
Quin, ſi cui noceat tantillùm grando vel imber;
Fert damni partem relligioſus homo.
Inque dies quanquàm videat decreſcere nummos,
Liba ſuo præbet non leviora Deo.
Quòd nil profuerit ſibi, tandem fervidus irâ,
Nodoſo armatur vecte, Deumque ferit.
Plurima diſſiluit ſimulacrum in fragmina, tùm quos
Celabat, nummûm millia multa patent.
A te, inquit, potui-ne obolum extorquere vel unum,
Aſſiduus cultor dùm tibi thura dabam?
I nunc, èque meo propera migrare ſacello,
Aram aliam, numen futile, quære tibi.
Bardos nempè refers & iniquo ſidere natos,
E quibus extrudi nil niſi fuſte poteſt.
Eſt benè mens mutata mihi; mea ſemper inanis
Dextera, muneribus dùm tua plena fuit.

---

1. *Ædicula* eſt parva domus, nonnunquàm accipitur pro loculamento ſimulachri, *Plin. l.* 26. de *Venere Cnidiâ.*

Digitized by Google

FABULA VIII.

Gracculus.

Exuerat pennas volucris Junonia : ſeſe
Ditibus exornat gracculus exuviis.
Exin pavones inter, caudam ecce ſuperbus
Explicat, atque ſibi mira videtur avis.
Prodita fraus : plumas penitùs rapuêre protervo;
Mille jocos, ſannas, ſibila, probra tulit.
Ad patrias reducem ſedes fruſtràque dolentem
Et roſtro ſua gens trudit & ungue foras.
Quàm multus pariter gemino pede gracculus audax
Scriptorum ſpoliis ſæpè decorus ovat.
Furibus his videar ne tædia ferre, ſilebo ;
Eſt procul à curis res aliena meis.

Digitized by Google

FABULA IX.

Camelus & Baculi fluctuantes.

Immani vidit primus qui mole camelum
Terga fugæ (terret tam nova forma) dedit.
Alter deindè venit propè; nectere tertius audet
Cervici dromadis ſtupea vincla feræ.
Aſſolet aſpectu crebro miteſcere, quidquid
Inſolitum extiterat terrificumque priùs.
Nec mirum: longo cunctis aſſueſcimus uſu.
Factum animo memori, dùm loquor, ecce ſubit.
In ſpeculâ quidam ſtabant: è littore longè
Proſpexêre aliquid, quod fluitabat aquis.
Regia, dixêre, eſt puppis, mox teſtibus iſdem,
Ignifer eſt lembus; cymbula deindè fuit;
Poſt paulò turgens peregrinâ ſarcina merce;
Tandem ſunt baculi, quos agit unda, leves.
Non paucos novi, quos hæc benè reddat imago;
Longiùs illi aliquid ſunt, propiùſque nihil.

---

15. *Reddat.* Reddere *pro* repræſentare, referre. Reddit eloquentiam paternam. *Quintil. l.* 1. *cap.* 1. Tantæ feminæ matrem rurſùs videor amittere, quam hæc reddit, ac refert nobis. *Plin. Epiſt.* 139.

——— Et qui te nomine reddet
Silvius Æneas. *Virg.* 6. *Æneid. v.* 768.

16. *Aliquid.* Aliquandò habet vim ſubſtantivi. Ut tu tùm aliquid videare. *Cic.* 1. *Verr.* 4. 5. Tùm ſe aliquid futurum putet. *Ibidem & Cæcilius.*

d by Google

FABULA X.

Rana & Mus.

MERLINUS dixit : ſe ingannat ſæpiùs ipſe,
  Ingannare alium qui putat arte ſuâ.
Vox nervoſa quidem, at, doleo, vix nota latinis.
  Verùm ad propoſitum jam feror ecce meum.
Mus erat eximiâ nitiduſque tereſque ſaginâ ;
  Jejunos nunquàm noverat ille dies.
Senſus quandò ſuos ſtagni exhilarabat ad oram,
  Rana coaxando, talia verba dedit :
Ne dedigneris ſedes inviſere noſtras ;
  Hîc tibi, ceu feſtâ luce, parabo dapes.
Nec mora : barbati ſpondet reverentia patris.
  Pluribus haud verbis ſollicitandus erat.
Quo tamen exſtimulet murem magis, adjicit illa :
  O tibi dùm venies, quàm via dulcis erit !

---

1. *Ingannare* eſt vox infimæ latinitatis & parùm uſitata ; ſignificat *decipere*. Hæc vox reperitur in latino vocabulario, quod continet omnia mediæ & infimæ latinitatis vocabula ; hoc autem vocabularium eſt dictionarium domini *du Cange*, juxtà quem ingannare eſt *decipere*, hiſpanis *ingannar*. Lectorem mittit ad pactum nuptiale inter Raymondum, filium Raymondi, comitis Toloſani & reginæ Johannæ, & Sanciam filiam Petri, reg. Aragon. octob. 1205. *Et ipſum in Dei fide & meâ recipio, quòd eum non decipiam & ingannem.*

Nota cum eodem *du Cange*, quod ingannum, à quo derivatur *ingannare*, eſt idem ac ingenium & pro fraude ſumitur. Ingannum occurrit in teſtamento Rogerii, vicomitis Biterr. an. 1150. apud Martenum. *Tom.* 1. *Anecdot. col.* 411. abſque omni inganno eis dono & autoriſo.

In noſtro defeſſa lacu cùm membra lavabis,
Delicias ſuperis experiêre pares.
Deindè nova aſpicies centum ſpectacula rerum,
Ordine quas vario littora noſtra ferunt.
Pendebunt quondam narrantis ab ore nepotes,
Dùm referes lætus ſingula viſa tibi.
Et ſtudia, & mores & regni jura paluſtris,
Temperiem noſtræ divitiaſque plagæ.
Mus facere ardet iter, quanquàm res una moratur,
Nare licèt paulùm doctus, egebat ope.
Eximit hunc animo rana ingenioſa laborem,
Porge mihi alterutrum, dixit, amice, pedem.
Porgit. Rana pedi circumdat nexile junci
Vinclum, quo pariter crus ligat ipſa ſuum.
Jamque pedem intulerant ſtagno. Verſuta ſodalis
Protrahere in liquidæ nititur ima domûs.
Fas contra, contra fidei inviolabile pactum,
Hinc cœnam ſperat lætitiamque ſibi.
Dulcior ante alias omnes olli eſca videtur.
Captivum votis jam vorat antè ſuis.
Mus orat Divos: Divos at perfida ridet.
Iſte reluctatur, validiùs illa trahit.
Dùm pugnant, longum deſcribens nubibus orbem,
Seque alâ pariter milvus utrâque librans,
In mediis luctantem undis videt ecce miſellum;
Acer in hunc ſtricto devolat ungue, rapit.
Et rapiendo trahit vinclum, vincloque tenaci
Pendentem ranam: cuncta ſecuta ſimul.

---

27. *Porgit pro porrigit.*

Cingite fronte comas, & pocula porgite dextris.

Virg. Æneid. 8. *v.* 274.

E prædâ duplici quæ milvo gaudia ! menſæ
Et pingue & macrum cernit adeſſe ſuæ.
Sæpè ſibi arte nocet, meliùs qui texuit artem ;
Fraus & in authorem vertitur ipſa ſuum.

Digitized by Google

FABULA XI.

Tributum Animantium.

TEMPORIBUS priſcis quædam fabella vigebat,
Me, cur hæc adeò ſit celebrata, latet;
Celatos retegat lectorum induſtria ſenſus;
Rem nudam, ut didici, nunc memorare meum eſt.
Mille plagis reſonans vulgavit fama, tyrannum
Qui Jovis auguſto ſanguine cretus erat,
(Nomen Alexander) ſibi cùm ſubmittere vellet,
Quidquid ſol oriens occiduuſque videt,
Edixiſſe, ſuum modò ſtarent ante tribunal
Terrarum è cunctis finibus, abſque morâ,
apetidæ, pecudes quadruplex quas ungula munit,
Barri, vermiculique, alituûmque genus.
Mandatum Dea centeno vix protulit ore,
Attonitas mentes ſtravit ubique pavor.
Omne animal, domino & quiſquis non ſubditur ulli,
Colla novo credit ſubjicienda jugo.
Tunc campum parte ex omni coiere patentem,
Omnes è latebris proſiluêre ſuis.
Conſultant, mittique placet, qui debita regi
Signa clientelæ, quique tributa ferant.
imius obſequii pignus deferre jubetur,
Dicere quæ deceat, ſcripta dedêre ſenes.
De vectigali tantummodò turba laborat.
Largiri nummos eſt opus: undè dabunt?
Commodat hos facilis princeps, cui feta fodinis
Immenſas tellus parturiebat opes.

Digitized by Google

Mulus, equus, nec-non aſinus, comitante camelo,
Impoſuêre humeris ſponte tributa ſuis.
Incedunt alacres pretioſâ & mole ſuperbi;
Orator gaudet ſimius ire comes.
Offendunt dominum tranſverſo in calle leonem;
Læta priùs viſo turba leone dolet.
Tunc ille: huc aptâ, dixit, convenimus horâ;
Sors felix comites nos dedit eſſe viæ.
Portabam mea ſolus ego munuſcula; quodvis
Mî ſed onus, quamvis ſit leve, terga gravat.
Quiſque, precor, partem vobis imponite quartam:
Partitum multis non grave pondus erit.
Hinc plus liber ero, pugnæque paratior, audax
Nos opibus tentet ſi ſpoliare latro.
Ut leo cumque petit, rarum eſt obſtare petenti:
Ergò benè exceptum faſce premente levant.
Indulget genio, communi vivit & ære,
Nec curat leges, rex Jove nate, tuas.
Devenêre locos quà pratum molle pererrat
Subſultim tremulo murmure lympha loquax.
Læta ubi divitias Veris Flora explicat omnes,
Et paſſim victum plurima quærit ovis.
Opportuna umbris & amico frigore ſedes;
Hæc zephyri, credo, patria vera fuit.
Ficto illic ſubitum rumpens leo pectore planctum,
Me gravis, ah! prohibet longiùs ire dolor;
Intùs edax tacitis me carpit flamma medullis.
Jam quærenda mihi quæ levet herba malum.
Nummis forſan egebo: meos mihi reddite nummos.
Vos ite, & veſtræ ſit mora nulla viæ.
Exonerant ſaccos auro, exclamanſque repentè
Hâc ſua teſtatur gaudia voce leo:

Digitized by Google

O mea quàm multam peperêre numiſmata prolem!
Cernite, jam bona pars matribus æqua ſuis.
Næ mea erit genitura. Simul rapit omnia: rari
Vel nummi, ſi quos fortè reliquit, erant.
Simius, attoniti & geruli nihil hiſcere contrà,
Mœrenteſque ſuam rursùs inire viam.
Damna Jovis nato, queruli expoſuiſſe feruntur,
At retulit, tanquàm ſit lapis, ille nihil.
Et benè: vindictam quid enim tentaſſet inanem?
Cum pare geſſiſſet bella leone leo.
Hinc dictum vetus: ut prædonem prædo laceſſit
Viribus æquatis, rem benè neuter agit.

FABULA XII.

Equus.

HUMANOS quondam ſonipes haud natus ad uſus,
Portabat collo nulla capiſtra ſuo.
Paſcendis quandò ſat erat mortalibus ilex,
Degebant ſilvis mulus, aſellus, equus.
His nec cernere erat quot nunc, tot ephippia, ſeclis,
Tot phaleras, queis vir bellicus ornat equos,
Tot currus, rapido tot rhedas axe volantes,
Tot pilenta citis pulverulenta rotis;
Nec tot ſolemnes epulas, feſtoſque hymenæos
Vidit ſimplicitas parca rudiſque patrum.
Tum cerebroſus equus cum cervo jurgia movit;
Cervi planta leves æquiparabat aves.
Impare quem curſu cùm non attingere poſſit,
Orat ſuppetias det ſibi dexter homo.
Ille aptat frenos ori, inſilit acer in armos,
Ac tundit geminum calce premente latus.
Nec priùs abſiſtit, victor quin occupet hoſtem;
Et dirâ victi cæde cruentat humum.
Tunc equus inſigni referens pro munere grates:
Sum tuus, hinc repeto ruſtica tecta, vale.
Non ita, dixit eques; meliùs te hæc villa tenebit;
Sum nimis expertus commoda quanta feras.
Ergò mane mecum, largâ ſaturaberis eſcâ,
Nec deerunt unquàm ſtramina ventre tenus.
Heu! cui libertas periit, quid fercula proſunt?
Se mœſtus ſonipes deſipuiſſe videt.
At ſerò nimiùm; miſero præſepia ſtabant
Jam domini curis ritè parata domi.

Illic vincla trahens obiit; ſapientior, æquâ
 Mente levem offenſam ſi toleraſſet equus.
Maxima vindictæ tibi cariùs empta voluptas,
 Empta bono, ſordet quo ſine quodque bonum.

Digitized by Google

EABULA XIII.

Vulpes & Caput.

ÆST tragicæ ſimilis larvæ pars magna potentûm:
  Plebs ſpeciem ſtultè relligioſa colit.
Eſt ſatis, externam faciem ſi ſpectet, aſello;
  Perſpicere at vulpes, quod latet intùs, amat.
Per cunctas verſat partes, ridetque, decoram
  Si præter ſpeciem viderit eſſe nihil.
Salſa ſimul jactat dicteria, qualia clari
  Effigies quondàm cùm ſibi viſa ducis.
Naturâ hæc major; ſed totâ concava mole;
  Audacis vulpes ſuſpicit artis opus.
O caput egregium, dixit, ſed inane cerebri!
  Quot proceres cerebro ſunt vacuæ effigies!

---

10. *Suſpicit.* Suſpicere aliquando eſt aſpicere admirando, vel admirari. Si cujus virtutem ſuſpiciunt. *Cicero, de Offic. cap.* 2. n. 23.

FABULA XIV.

Lupus, Capra & Capreolus.

Pendentem nutrix capra mammam implere parabat,
Depaſcique herbas quas nova fundit humus;
Peſſulo & inſerto ſua prudens oſtia clauſit,
Atque ita capreolum præmonet antè ſuum:
Tu cave pulſanti cuicumque recludere limen,
Ni miſerâ ante diem morte perire velis.
Ut certum fidei ſignum, reddi antè jubeto
Hæc tibi verba: lupo væ ſobolique lupi.
Dùm mater loquitur, tranſit lupus; aure fideli
Dicta legit, memori condita mente tenet.
Scilicet haud fuerat viſus capræ helluo: limen
Pulſat, ut hanc laribus ſentit abeſſe ſuis.
Gutture tùm blæſo palpans, aperi, inquit, amice,
Adjecitque: lupo væ ſobolique lupi.
Jam velut exceptus gaudet: tùm pullus, ocello
Ad rimam admoto, ſuſpicioſus ait:

---

6. *Ante diem.*
Sed cadat ante diem. *Virg. Æneid.* 4. *l. v.* 620.

10. *Legit.* Legere ſermonem alterius per tranſlationem dictum, pro attentiùs audire, accipere. Nunc huc concedam ut horum ſermonem legam. *Plaut. Pſeud.* 1. 4. 11.

13. *Palpans.* Palpare propriè eſt leniter, blandè & quaſi tentando tangere. Metaphoricè eſt adulari, blandiri. Obſervate, cùm blandè palpabitur. *Plaut. Amph.* 1. 3. 9.
Id eſt, juxtà Feſtum, cùm adulabitur.
——— Quem munere palpat
Carus. *Juvenal.* 1, *Sat.* 3.

Album porge pedem ; ſin haud reſerabo ; (luporum
 Album perrarò novimus eſſe pedem.)
Obſtupuit prædo : è ſilvis ut ventre latrante
 Venerat, in ſilvas ventre latrante redit.
Quæ lupus audierat, pactis ſi fortè dediſſes,
 Pulle, fidem verbis, nunc ubi, pulle, fores?
Seſe tutandi duplex via certior unâ eſt,
 Si qua ſuperfuerit, non perit illa tibi.

---

17. *Porge.*
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris.
Virg. 8. *Æneid.* v. 274.

18. *Perrarò.*
—— Perrarò hæc alea fallit. *Horat. l.* 2. *Sat.* 5.

23. *Via.* Per tranſlationem pro modo & ratione aliquid faciendi. Non tàm juſtitiæ, quàm litigandi tradunt viam. *Cic.* 1. *de Legib.* 18. Dicendi via. *Quintil.*

FABULA XV.

Lupus, Mater & Puer.

Hic lupus alterius revocat mihi triſtia fata,
    Deluſit meliùs quem ſua credulitas.
Helluo in infauſtâ vitam ſtatione reliquit;
    Quî res contigerit, pagina noſtra refert.
Quidam in ſeceſſu ſua tecta colonus habebat;
    Fortunam opperiens ſtat lupus ante fores.
Non ſemel hic ſeptis erumpere viderat amplis,
    Cors alit explendæ quidquid opima gulæ.
Gallinas turmatim indas, cum matribus agnos,
    Lactentes vitulos, & genus omne dapum.
Jam pertæſus abire parat latro: protinùs audit
    Lamentis pueri triſtè ſonare caſam.
Tunc genitrix natum voce objurgare minaci:
    Te trado, ceſſes ni modò flere, lupo.
Jam ſtare accinctus, tanto pro munere multas
    Jam Superis grates reddere latro pius.
At mater ſobolem mulcens: ne, pullule, clama;
    Fortè lupus veniat, nos perimemus, ait.
Hîc ovium exclamat raptor: quidnam audio? nunc hoc
    Dicere, nunc illud? ſiccine ludor ego?
M'en fatuum credunt? Lecturus amygdala poſthàc
    Se nemus in noſtrum bellulus iſte ferat....
Dùm loquitur, famuli tectis prodire: moloſſus
    Excubitor cortis vertere terga vetat.

---

10. *Lactentes vitulos.*
——— Mactatos crederet illic
Lactentes vitulos. *Ovid. Metam. l. 10. v. 227.*

Irruere in captum ferro venabula acuto,
Infeſta & miris pungere furca modis.
Quid noſtros, aiunt, ad poſtes, improbe, quæris?
Illicò rem narrat voce tremente lupus.
Ah! malè diſperеam, reſpondit concita mater:
Nempè tuo ſobolem dente perire meam!
Hunccine ego peperi, tetram, rabioſe, tenellis
Artubus ut poſſes exſaturare famem?
Nec plura: occumbit repetito ſaucius ictu;
Ruſticus exanimo colla pedemque ſecat.
Hæc jubet ante fores extare affixa toparches.
Trita uſu circum nænia ſcripta fuit:
Vos, inclytum genus, lupi,
Matri piæ ne credite,
Quæ vagientis parvuli
Queſtus retundit aſperè.

---

35. *Toparches*, æ. à voce græcâ (τοπάρχης) qui unius Loci, vel regionis dominium habet. Toparchas & reges ad amicitiam invitavit. *Celian. ſpartianus in Adrian. cap.* 13.

Hic ſpartianus erat ſcriptor latinus qui vixit tertio ſæculo tempore Diocletiani, cui Adriani vitam dedicavit. *Conſule Voſſium, de hiſtoricis latinis.*

Digitized by Google

FABULA XVI.

Dictum Socratis.

Cum ſibi fundaret quondam Sophus Atticus ædes,
  Permultus cœpit carpere cenſor opus.
Hic faciem culpat: tanto, ne mentiar, inquit
  Ille, haud digna domûs interiora viro.
Omnes, membra domûs quòd ſint nimis arcta queruntur.
  Quæ ſedes? Dominum vix capit illa ſuum.
O veris utinam, ſubridens inquit, amicis
  Plena mihi, qualem cernitis, eſſe queat!
Egregium ſani reſponſum Socratis, hiſce
  Ampla fuiſſe nimis qui ſua tecta ratus.
Ultrò quiſque tibi paſſim ſe jactat amicum;
  Demens, huic voci qui putat eſſe fidem.
Nil venit ad noſtras hoc nomine ſæpiùs aures,
  Re tamen in toto rarius orbe nihil.

---

1. *Ædes.*

Quùm parvas ædes ſibi fundaſſet Socrates.

Phæd. l. 3. Fab. 8.

5. *Membra domûs.* Membra accipiuntur propriè pro ſingulis corporis partibus, ut manus, pes, auris, membra dicuntur.

Membrum metaphoricè ſumitur pro parte cujuſlibet rei.

Adhæret dormitorium membrum, tranſitu interjacente, *hoc eſt*, pars domûs, quieti corporum dicata. *Plin. Epiſt.* 17. *l.* 2.

Columella, qui de agriculturâ tam verſu, quam proſâ lib. 13. elegantiſſimè ſcriptos reliquit, quique vixit ſub imperatore Claudio, circiter anno Chriſti quadrageſimo ſecundo; Columella, inquam, partem domûs membrum vocat, *l.* 1. *cap.* 6, cui titulus eſt: *De poſitione villæ.* Modus, inquit, membrorumque numerus aptetur univerſo conſepto, & dividatur in tres partes, urbanam, ruſticam, fructuariam.

FABULA XVII.

Senex & ejus Filii.

Non ſtat firma ſatis, niſi ſit ſociata, poteſtas;
Rem Servi lector diſcat ab ore Phrygis.
Illius inventis mea cùm libet addere, mores
Pingere fert animus, me neque livor agit.
Ambitio hæc noſtrâ mente altior: addere Phædrum
Permulta Æſopo, laudis adegit amor.
Hoc me dedeceat: referet jam fabula vera,
Quâ natis pacem ſuaſerit arte pater.
Cordatus ſenior, quò Parca vocabat, iturus,
O nati, (natos namque monere parat)
Conjuncta hæc, dixit, tentate effringere tela,
Et retegam nodum, quo ſibi nexa manent.
Maximus hæc ſumit, totis & viribus inſtat;
Fortior id tentet dextera, feſſus ait.
Alter tela capit, fruſtràque obnixus anhelat.
Tertius audet idem, deficiuntque manus.
Faſciculus fratrum niſus contra ſtetit omnes.
E junctis nullum diſſiluit jaculis.
Tunc infit pater, ô nimiùm gens debilis! illic
Vis mea quid valeat nunc videatis, ait.
Subriſêre omnes, hæc à ſene dicta jocando
Credebant, quanquàm non jocus ullus erat.
Sejungit calamos, frangit conamine nullo.
Jam vim concordis noſtis amicitiæ.
Ha! precor, unanimes, ô nati, vivite, fidus
Vos ſtabili ſemper fœdere jungat amor.
Nec voces iterare ſenex ceſſavit eaſdem,
Infeſtâ venæ dùm caluêre febri.

Proximus at morti : ſoboles mihi cara, valete,
Mox patrum cineri jungar & ipſe cinis.
Vivere fraternis animis jurate : ſupremum
Hoc in me veſtri pignus amoris erit.
Deflendo jurant. Dùm dividit oſcula natis
Ultima, dùm dextras prenſat amanter, obit.
Inveniunt multos fundo cum divite nummos :
Sed res multa ſibi diſcutienda venit.
Vicinus quidam lites intendit iniquas,
Injicit in fundos creditor ecce manum.
Hinc primùm extricat ternos concordia felix,
Sed quàm rarus amor, tàm brevis ille fuit.
Quos idem ſanguis junxit, privata repentè
Utilitas cœpit diſſociare viros.
Ambitio, livor, ſimul & conſultor avarus
Certatim fratrum depopulantur opes.
Dùm patris nummos partiri, & prædia pugnant,
Mille adhibent tricas, jurgia mille movent.

---

31. *Jurate.*

Non ego cum danaïs trojanam exſcindere gentem
Aulide juravi. *Virg.* 4. *Æneid.* 425.

38. *Injicit manum.* Injicere manum in rem aliquam, propriè eſt eam manu apprehendere. Metaphoricè, apud juriſconſultos, eſt eam tanquàm rem ſibi debitam vindicare, nullâ judicum authoritate expectatâ.

43. *Conſultor.* Quandòque dicitur, qui dat conſilium. Simul ab eo petiit, ut fautor conſultorque ſibi adſit. *Salluſt in Jugurth. cap.* 103. Opinor, inquam, non ſolùm quod dicitur, malum conſilium conſultori eſſe peſſimum; ſed etiam bonum conſilium, qui conſulit & qui conſulitur, bonum habendum. *Varro de Ruſtic. cap.* 2. *pr.* (Ubi conſultor intelligitur, & qui petit, & qui dat conſilium.)

45. *Pugnant* pro *conantur.*

Pugnat in adverſas ire natator aquas.
Ovid. Remed. amor. 122.

Hos damnat judex capita ob centena viciſſim;
  Illinc vicinus, creditor indè redit;
Ille, quòd in numeros error ſubrepſerit, iſte,
  Debita quòd deſit formula judicio.
Diſcordant fratres, hic vult componere litem;
  Abnuit iſte: trium ſic periêre bona.
Telorum exemplo voluerunt ſeriùs uti,
  Sejunxit ſapiens quæ ſociata pater.

Hæſerunt radice pedes, convellere pugnat.
Idem. Metam. l. 9. 351.

46. *Tricas.* Tricæ propriè ſunt pili pedibus pullorum gallinaceorum involuti, qui quoniam illorum greſſum impediunt, hinc factum eſt, ut impedimenta omnia tricæ metaphoricè vocentur. Hoc poſteriori ſenſu. *Plaut. Perſ. act. 5. ſcen. 2.* Ut me in tricas conjeciſti. *Hoc eſt*, in ſtatum intricatum, undè & quis difficilè aut neutiquam ſe poſſet expedire. *Cicer. lib. 8. Epiſt. 5.* Ut plus biennium in his tricis moretur. Turpinius, ut citatur, *apud Nonium*, ait: judicia, lites, turbas, tricas, contentiones maximas. A tricis, id eſt, à pilis, qui græcè τριχες vocantur, dictum extricare & intricare. *Varro*, *apud eumdem Nonium*, tricas attellanas vocat nugas impeditiſſimas, ubi alludit ad pilos.

Digitized by Google

FABULA XVIII.

Oraculum & Impius.

TENTAT ubi tellus oculatum fallere cœlum,
Irrita vecordi pectore cœpta movet.
Intima dædaleo flexu nil corda recondunt,
Quod non jam retegant lumina acuta Deûm.
Quidquid agit mortale genus, fit teſtibus illis,
Quæque putat cæcâ nocte latere, vident.
Paganus felix tunicam effugiſſe moleſtam,
Qui dabat eſſe Deum, Styx modò nulla foret,
Contendit Delphos ſcitatum oracula Phœbi.
Sacratum ingreſſus vix penetrale, rogat:
Quod mea dextra tenet, vivumne, an lumine caſſum?
Sacrilega occultam dextra tenebat avem.
Præfocare manu, vel ſalvam reddere campis
Mens erat, ut certâ falleret arte Deum.

---

7. *Tunicam moleſtam.* Tunica moleſta, genus ſupplicii apud antiquos, veſtis erat è chartâ, cannabe, ſtupâ; illinebatur bitumine, reſinâ, pice. Ea circumdabatur iis, qui grave aliquod facinus admiſerant: quâ demum incensâ, vivi comburebantur. De eâ vide Senecam, *Epiſt.* 14.

De eâdem loquitur Juvenalis, *Sat.* 8. *v.* 235.

Auſi quod liceat tunicâ punire moleſtâ.


8. *Dabat.* Dare aliquandò accipitur pro concedere, fateri. Sed do hoc vobis & concedo eſſe multos, &c. *Cic. in Verr.* 218. Quod tu mihi das, *i. e.* concedis, ut ſit in diſputando. *Idem.* 4. *Acad.* 68.

8. *Styx* pro *inferis.*

Parva petunt manes, pietas pro divite grata eſt
Munere, non avidos Styx habet ima Deos.

Ovid. Faſt. l. 2. *v.* 536.

Aſtum pervidit Phœbus : volucrem exere, dixit,
Exanimem aut vivam, nec mihi necte dolos.
Fraus tua, ſi me iterùm tentes, tibi non benè vertet,
Longè ut Apollo videt, ſic & Apollo ferit.



FABULA XIX.

Avarus , amiſſo theſauro.

UTERE poſſeſſis ſi vis poſſeſſor haberi ,
Te mea , te , dives ſordide, muſa petit.
Dùm nummos nummis cumulare tibi una cupido ,
Quid , quod non habeat quilibet alter , habes ?
Non Manes inter dives minùs Irus avaro ,
Tanquàm Irus , vivos inter , avarus inops.
Vir nummoſus humo grave pondus texerat auri:
(Exemplum Phrygius protulit ipſe pater.)
Alterius demens expectat tempora vitæ ,
Atque opibus partis abnegat antè frui.
Poſſidet hunc aurum , non aurum poſſidet ipſe ,
Terræ infoſſa jacet lamina , corque ſimul.

---

5. *Irus* eſt inſignis medicus Ithacenſis , cujus paupertas apud latinos locum habet inter proverbia. De eo loquitur Homerus , *libro Odiſſeæ decimo-octavo.*

Irus & eſt ſubitò qui modò Crœſus erat.

Ovid. 3. *Triſt.* 7. 42.

6. *Vivos.* Vivi ii dicuntur , qui ſunt viventes , eos opponendo mortuis. Is non modo ex numero vivorum exturbatur , ſed ſi fieri poteſt , infra mortuos amandatur. *Cic. pro Quint.* 49.

—— Lædere vivos
Livor & injuſto carpere dente ſolet. *Ovid. l.* 3. *de Pont.* 4. 73.

—— Et mihi nomen ,
Tunc quoque , cùm vivis annumerarer , erat.
Ovid. l. 4. *de Pont.* 16. 4.

11. *Poſſidet.*

Nec mihi detractas poſſidet alter opes. *Ovid.* 4. *Triſt.* 4. 46.

Quibus rebus . . . . brevi tempore totum hominem poſſederat. *Cic.* 5. *de Varr.* 158.

12. *Lamina.* Lamina eſt bractea metalli : hic ſumitur pro auro ,

Hanc

Digitized by Google

Hanc animo gazam noctuque diuque revolvit
    Sollicitus, ſacras ſic ſibi reddit opes.
Se ferat huc illuc, repetat vel rura vel urbem,
    Pane famem pellat, temperet amne ſitim:
Mirum, ſi poſſit deprendi haud mente volutans
    Dulcem qui celat flava metalla locum.
Huc venit toties, ut foſſor viderit, aurum
    Hîc ſubolet; tacitus, nocte favente, rapit.
Poſt paulò reperit nil, nidum præter, avarus.
    Flet, furit, exululat, vellit & ungue comas.
Scitatur tanti quæ planctûs cauſa viator.
    Hei mihi! theſaurum ſurripuêre meum.
Theſaurum? Sed ubi? Hoc ſaxum prope. Victor an urbem,
    Ut nummos ferres tàm procul, hoſtis habet?
Nonne domi ſatius ſervare fuiſſet in arcâ,
    Quàm trepidâ in campo depoſuiſſe manu?
Illinc ſumpſiſſes facilè horis omnibus. Horis
    Omnibus, ô Superi! ſumere ſicne decet?
Nùm redit æs, ut abit? Parcebam tangere. Tantus
    Cur tibi, ſi nolles tangere, mœror ineſt?
Auri pro maſſâ, lapidem tellure reponas:
    Tantumdem certè proderit ille tibi.

---

vel argento, eo ſenſu dixit Horatius:

Abditæ terris inimicæ lamnæ,
Criſpe Saluſti.

FABULA XX.

Oculus Domini.

CUM fugeret cervus, ſe immiſit fortè bovili :
Quære, boves aiunt, tutius hoſpitium.
Tùm cervus : fratres, me prodere parcite ; vobis
Monſtrabo pingui paſcua læta ſolo.
Forſan & hoc vobis benefactum proderit olim,
Nec, tantæ pigeat quòd pietatis, erit.
Aſſenſêre boves : optata ſilentia ſpondent,
Quemcumque eventum ſors malè certa paret.
Angulus excepit miſerum ; hîc ſperare ſalutem
Incipit, & trepido corda levare metu.
Nunciat ut noctem Veſper, de more juvencis
Debitus affertur victus & herba recens.
Centenis & eunt vicibus redeuntque bubulci ;
Curatorque domûs ſæpiùs ipſe venit.
Cornua vel ramos, vel cervum haud cernere quiſquam ;
Jam grates ſaltûs incola bobus agit.
Expectat donec cunctis ad aratra reverſis,
Aptior effugio venerit hora ſuo.
Tùm bos : hæc rectè ; at nondùm nos ille reviſit
Lumina qui centum ſuſpicioſus habet.
Non equidem eſt, adeò tibi quòd grateris, amice ;
Quandò aderit, vereor ſumma pericla tibi.

6. *Pigeat.* Piget *pro* pœnitet, doleo. Ut me non ſolùm [pi]geat ſtultitiæ meæ. *Cic. pro domo ſuâ.*

Adverte quòd *piget* differat à pudet, teſte Donato, quòd pudet dicatur de iis, quæ turpiter fiunt ; *piget*, de iis, quæ damnamo & malo.

Ovid. 2. *Metamorph. v.* 182. de Phaëtonte malè patris currum regente.

En ſimul ingreditur dominus: ſtabula undiquè luſtrat,
O pueri, in clathris graminis undè parùm eſt?
Hoc ſtramen vetus: ite citi ad fenilia: major
Vos habeat poſthàc, ſic volo, cura boum.
Hæc juga non poſſunt ritè, hæc collaria poni?
Hos quantus labor eſt tollere araneolos?
Intentus vigiles oculos per ſingula verſat;
Et caput hìc, quod non viderat antè, videt.
Detegitur cervus: lato venabula ferro
Quiſque rapit, figit cuſpide quiſque feram.
Mortem infelicis nequeunt avertere fletus.
Aufertur: properant ſpargere membra ſale.
Et pater & nati multa hinc convivia curant,
Vicini & lætis accubuêre toris.
Hinc olim cultâ ceciniſti, Phædre, camœnâ:
Plus reliquis oculus cernit acutus heri.

Jamque agnoſſe genus piget, & valuiſſe rogando.

I. e. Phaëtontem pœnitet agnoſcere ſuam originem & impetraſſe quod petebat.

22. *Undè*, i. e. *ob quam cauſam.*

——— Undè (*i. e.* cur.)
Hæc tetigit, gradive, tuos urtica nepotes?

Juvenal. Sat. 2.

FABULA XXI.

Alauda, ejus Pulli & agri Dominus.

Ne confide aliis; per te rem confice : tritæ
Sic voci Æſopus pondus habere dedit.
In mediis nidum campis tùm ponit alauda,
Primus apex ſegetum cùm tener exit humo.
Tempore quo pecudum omne genus vim ſentit amoris;
Certatim & pecudum pullulat omne genus;
In ſilvis tigres, immenſo in gurgite monſtra
Æquorea, in mediis omnis alauda ſatis.
Dimidium at veris quædam conſumpſit alauda,
Haud libare tamen gaudia verna memor.
Exemplo tandem naturæ illecta potenti,
Jam non ſe ipſa tenet quin ſit, ut antè, parens.
Ædificat nidum velox, excludit & ova,
Ova excluſa fovet, progeniemque parit.
Quàm citiùs potuit meliùſque, opus omne peractum;
Tollere mox flavum cœpit ariſta caput.
Aërios necdùm tractus tentare volando
Prolis adhuc teneræ debilis ala valet.
Mille ſed intereà curis exercita mater,
Pabula quò quærat, proxima rura petît.
Sic priùs hortatur pullos benè provida : veſtrûm
Quilibet excubias irrequietus agat.
Si comite adveniat nato poſſeſſor agrorum,
(Næ veniet votis ociùs ille meis)
Præbete attentam quas fundet vocibus aurem;
Indicio, ut celeres hinc abeamus, erunt.
Liquit alauda ſimul nidum, poſſeſſor agelli
Advênit, natus cui comes unus erat.

Hæc, inquit, matura ſeges jam flavet; adito
    Quamprimùm, fidus quos mihi jungit amor;
Atque roga, inſtructi cras adſint falcibus omnes,
    Aurora ut ſurgens nuntia ſolis erit.
Ad cunas remeat volucris nutricula, fetus
    Advertit trepidos cuncta timere ſibi.
Tunc unus: ſocios operum cras juſſit adeſſe,
    Aurora ut ſurgens nuntia ſolis erit.
Si ſola hæc mandata dedit, mutare penates
    Nos nihil urget adhuc, dixit alauda ſagax.
Auribus at totis cras auſcultetis oportet;
    Nec minùs eſte alacres, largior ecce cibus.
Cœnant, edormitque ſatur cum matre popellus,
    Lucem aurora refert, nullus amicus adeſt.
Evolat ad paſtum mater. De more colonus
    Per varias luſtrat tritica denſa vices.
Stultus, ait, tardis adeò qui fidit amicis,
    Certè illis veniæ non locus eſſe poteſt.
Jam ſervare meas deberent horrea meſſes:
    Affines veniant, nate, precare meos.
Hinc gravior cœpit formido invadere nidum:
    Dixit hic: affines; imminet hora, parens.
Nequaquàm, ô nati; ſecuros ducite ſomnos,
    Nos nihil hos cogit deſeruiſſe lares.
Vera monebat avis, meſſor non advenit ullus:
    Aurea poſtremùm villicus arva petit.
Nullus, ait, melior te affinis, nullus amicus.
    Spes nos externi vana laboris habet.
Quæ moneo memori ſub pectore condita ſerva;
    Nate, agedum, noſtin' quid magis expediat?
Cras ubi lux albeſcet, agrum cum falce petamus
    Et nos & famuli, certius illud erit.

Quàm poterit minimo ſuccidet tempore meſſes
  Non intermiſſo noſtra labore manus.
Reſciit ut tales volucris matercula juſſus,
  Nunc, nunc, ô pulli, caſtra movenda, mei.
E laribus, mora nulla, leves volitantque ruuntque
  Subſultim, nec dat buccina ſigna fugæ.

Finis Libri quarti.

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER QUINTUS.

FABULA PRIMA.

Lignator & Mercurius, ad D. C. B.

Quæ mihi dent placuiſſe tibi, tentavimus artes.
Eſt mihi judicium, normaque lexque, tuum.
Tu cultus vanos, benè ſanus, & ampullatis
Ornamenta vetas ambitioſa ſonis.
Ipſe veto, neſcit ventoſa hæc pompa placere.
Deformat: nimiùm dùm polit author, opus.
Non arcenda tamen ſubtilis acumina mentis,
Quæ tu ſectaris, nec mea muſa fugit.

Præcipuam ad metam procedere conor arenâ
  Quâ prior Æſopus pandere cœpit iter.
Si minùs oblectent iſti doceantque legentem
  Verſiculi, in curis ſtat mora nulla meis.
Laudis in hoc aliquid, ſaltem, ipſe fatebere; quanquàm
  Muſa mea haud nervos fidit ineſſe ſibi.
Me juvat hinc vitiis ridendo indicere bellum,
  Quæ nequeo Herculeâ perdomuiſſe manù.
Hanc unam dotem mihi conceſſêre Camœnæ,
  Nec ſcio propoſito ſit ſatis illa meo.
Nunc comitem invidiæ vanum deſcribo tumorem:
  Verti hominum, hôc gemino cardine, vita ſolet.
Sic deſpectum animal, veſano turpiter auſu,
  Pugnavit vecors æquiparare bovem.
Virtutem interdùm vitio, ſtolidæque ſagacem
  Oppono mentem; quò ſit imago duplex.
Oppono & vulpi corvum, culicemque leoni,
  Formicæ muſcam, lanigerumque lupo.
Hoc opus eſt actu centeno fabula: vaſtus
  Quà ſe orbis pandit, ludicra ſcena patet.
Actores ibi ſunt homines, animantia, Divi;
  Exequitur partes Juppiter ipſe ſuas.
Nunc adſit, qui virginibus mandata tonantis
  Perfert; at non hìc talia juſſa feret.

Subſidium vitæ lignator, nempè ſecurim
  Amiſſam quærit, nec reperire valet.

---

14. *Nervos.* Quantùm in cujuſque animo roboris eſt & nervorum, tanta eſt conſolatio. *Cic.* 6. *Fam.* 1.

22. *Pugnavit.* Pugnare, per tranſlationem, pro *conari.*

Pugnat in adverſas ire natator aquas.

Ovid. de Remedio amoris.

— Pugnat molles evincere ſomnos. *Id. Metam. l.* 1. *v.* 685.

Lamentis poſſit vel ſaxea corda movere ;
Non plura arma domi, quàm petit uſus, habet.
Res quam flebat inops erat olli tota ſupellex.
In quo ſpem ponat, nil videt eſſe ſuper.
Tota madet lachrymis facies, ô cara ſecuris !
Sæpiùs exclamat, cara ſecuris, ubi es ?
Juppiter, una ſalus miſerorum, redde ſecurim.
Bis data mî fuerit munere vita tuo.
Orantis miſerans queſtum exaudivit Olympus,
Atlantiſque nepos æthere lapſus adeſt.
Hanc, ait, agnoſces ? Non eſt amiſſa : propinqui
In nemoris dorſo, credo, reperta mihi.
Aurea noſtro homini monſtratur ; in illam
Nil habeo juris, candidus ille refert.
Argento ſolida offertur ; pariterque recuſat.
Lignea porrigitur ; clamitat eſſe ſuam.
Poſtremam hanc concede mihi, nihil ampliùs oro.
Non ſatis eſt, ternas accipe, Divus ait.
Iſta tuo merces candori debita. Donas :
Accipio, retulit munere lætus homo.
Eventum vulgat per vicos fama : bipennem
Illicò lignator perdere quiſque ſuam.
Clamore hanc magno repetunt : queis præbeat aurem,
Neſcit rex Superûm (tot ſtrepuêre ſimul.)
Mittitur ad querulos iterùm Cyllenius : auream
Exhibet : hanc avidus quiſque tenere velit.

---

46. *Dorſo.*
Prærupti nemoris dorſo, *i. e.* clivo.
Horat. l. 2. Sat. 6. v. 91.

48. *Candidus.*
——— Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti. *Horat. l. 1. Epiſt. 6. v. 68.*
Albi, ſermonum noſtrorum candide judex. *Ib. l. 1. Epiſt. 4.*

Seque meram credat pecudem, niſi protinùs omnes
  Adjurans Superos dixerit: ipſa mea eſt.
Non dedit indignans Caducifer; imò ſecurim
  In mediam frontem librat utrâque manu.
Abſint ore tuo longè mendacia: vive
  Contentus propriis; tutius illud erit.
Dicere falſa tamen multos amor urget habendi,
  Quid prodeſt? Nequeunt ludere falſa Jovem.

FABULA II.

Olla lutea & Olla ænea.

COMPELLASSE ollam luteam ſic fertur ahena :
Eia age, vin' comites nos ineamus iter ?
Altera diſſentit primùm. Sapiam magis, inquit,
Si ſervem, vivo quo benè tuta, focum.
Me res offendat ſi tantula, tantula, flictu
Conterat, ut ſuperent fragmina nulla meî.
At tibi, quæ duræ ſepta es munimine pellis,
Cùm lubet ire viam, te mora nulla tenet.
Sollicitos depone metus, reſpondit ahena,
Me, contra caſus, auſpice, ſoſpes eris;
Exitium tibi materies ſi dura minetur,
Vulnus ut effugias, inter utrumque ferar.
Pollicitis inducta comes non abnuit ire.
Tùm luteo lateri proxima ahena ſtetit.
Ergò illas pede tergemino hinc atque hinc titubantes,
Quà datur, ancipitem corripuêre viam.
Se quatiunt ambæ. Occurrat quicumque lapillus,
Multiplices plagas fictilis olla pati.
Confecit paſſus vix centum; in fragmina mille
Diſſiluit, nec quod jure queratur, habet.
Te, niſi cum paribus, nunquam ſociare memento;
Sin: fatum, ſubiit fracta quod olla, feres.

FBULA III.

Piſciculus & Piſcator.

Pisciculus creſcet tacitè labentibus horis,
Sit modò longa ſatis vita, favente Deo.
At foret inſani, ut creſcat, dimittere captum;
Res dubia eſt. Iterùm nùm capiendus erit?
Piſcator calamum de littore miſit in amnem,
Nullius & tincam ponderis ecce capit.
Hic prædam aſpiciens: numerum nil non facit: ergò
Ingredere in peram, tinca minuta, meam.
Parva quidem, lautæ tamen es præludia cœnæ.
Flectere ſic tentat tinca miſella virum:
Quam de me cœnam ſperas? Exilis ofellæ
Dimidium poſſim vix ego tota dare.
Expecta, donec matrem me fecerit ætas;
Sponte meâ reducem rursùs ab amne trahes.
Me pinguem quæſtor magno mercabitur, at nunc
Fac centum invenias mî brevitate pares:
Vix patinam congeſtæ omnes implebimus unam;
Et quanti patina hæc? Unius aſſis erit.
Unius aſſis erit? piſcator ſubjicit; eſto,
Piſcis amice, adeò qui mihì mira canis.
Plaudo tibi. Crepitante tamen ſartagine coctum
Te mea verſabit, ſole cadente, manus.
Malo, unum dederis, duo quàm promiſeris, aiunt.
Certum eſt quod teneo, non tua certa fides.

FABULA IV.

Auriculæ Leporis.

INFLIXIT plagas aliquot cornuta leoni
 Bellua, non iram ſuſtinet ille ſuam.
Ne quiſquam tales ſibi poſthàc inferat ictus,
 Vulgari edictum per ſua regna jubet;
Scilicet, è totis abeant, quibus imperat, oris,
 Cornua quæ geſtant, fronte minace, feræ.
Confeſtim damæ patriam cervique relinquunt,
 Cumque capris migrant arietibuſque boves.
Cedere ſed properat dùm quiſque, lepuſculus umbram
 Cernit, quam geminis efficit auriculis.
Jam tremit, oblongæ quòd ſint, ne cenſor iniquus
 Contendat prorsùs cornibus eſſe pares.
Ergò, vale, dixit, vicine ô Grille, recedo.
 Tandem aures eſſent cornua vera meæ.
Et ſi plus multò curtas, quam ſtruthio, geſtem,
 Haud poſſim vacuum pectus habere metu.
Grillus ſubridens; hæ, cornua? Pol tibi credor
 Stipes; ſunt, fecit quas Deus, auriculæ.

---

20. *Munocerotos.* Munoceros aut monoceros eſt animal unico duntaxat cornu armatum. Hæc vox oritur à voce græcâ *μονο-κερος*, vel *μȣνοκερος*. Nota quòd apud græcos *μονος* poëticè mutatur in *μȣνος*. De hoc animali, quod etiam *unicornis* appellatur, loquitur Plinius, *l. 8. cap.* 21. Aſperrimam autem feram, inquit, feram monocerotem, reliquo corpore equo ſimilem, pedibus elephanto, caudâ apro, mugitu gravi, uno cornu nigro mediâ fronte cubitorum duorum eminente. *Vide* Harduin, *ad Plinium, loco citato.*

Tunc animal pavidum, hæ dicentur cornua, ſic eſt:
Cornua quinetiàm munocerotos erunt.
Teſtabor fruſtrà Superos; nihil heu mea verba valebunt,
Tanquàm mentis inops mittar in anticyram.

FABULA V.

Vulpes caudâ abſciſſâ.

HORRIDA pullorum clades, leporumque vorago
Vulpes, quâ ſenio nulla doliſve prior,
Jamdudùm infamis longè latèque rapinis,
Venantûm in cæcas incidit ipſa plagas.
Evaſit raro caſu, nec libera gratìs;
Jacturâ caudæ nempè redempta fuit.
Nativum quoniam decus amiſiſſe pudebat,
Dedecoris ſocias quærit habere vafra.
Solemnem in cœtum cùm gens vulpina coiſſet,
Quid nos vana, inquit, ſarcina, cauda juvat?
Fœdam ea verrit humum, ſordes & colligit omnes;
Cenſeo, ſpontè velit quæque ſecare ſuam.
Una refert: cenſes benè; ſed reſponſa priuſquàm
Demus, terga, rogo, jam tua verte, ſoror.
Tùm decurtatam fuſis riſêre cachinnis;
Nulli audita, adeò perſtrepuêre, fuit.
Nequicquàm, ut caudas adimant, ſuadere laboret;
Servatus mos eſt, perpetuuſque fuit.

d by Google

FABULA VI.

Anus & duæ Ancillæ.

ANCILLAS habuit geminas anus: utraque fuſis
Pollice docta levi ducere ſtamen, erat.
Queis ſi lanificas libeat conferre ſorores,
Hæ rudibus digitis non benè fila trahunt.
Cura prior vetulæ famularum urgere laborem,
Partiri & plenâ penſa diurna colo.
Auricomum è thalamo Phœbum cùm Tethys agebat,
Jam fuſi celeres ire, rotante manu.
Fervere opus: longo tractu decurrere fila
Hinc illinc: requies nulla, nec ulla mora.
Vix, inquam, jungebat equos Pallantias, ipſo
Articulo gallus dira canebat avis.
Suppara tunc aptare ſibi putri horrida ſorde,
Gallo dira magis deproperabat anus.
Lampada & accendit; queis toto pectore ſomnum
Ancillæ proflant, illicò ſtrata petit.
Oſcitat illa gemens, pigrum extenditque lacertum,
Vix oculum hæc aperit ſemiſopora gravem.

---

7. *Tethys*

Tethys & extremo ſæpè vocata loco eſt. *Ovid.* 3. *Faſt.* 12.

12. *Ipſo articulo.* Articulus *pro* temporis momento.

——— O ſcelera! illud vide
Ut ipſo articulo oppreſſit. *Terent. Adelph.* 2. 2. 21.

Quod ità gallicè redditum eſt. *O ſcélérats qu'ils ſont! Voyez, je vous prie, comment il m'eſt venu ſurprendre à point nommé.*

13. *Suppara.* Supparum, inquit Nonius, eſt linteum femore uſque ad talos pendens, ſic dictum quod ſubtùs appareat.

18. *Semiſopora.*

Semiſopora levi ſcalpebat lumina ſomno.
Sidon. Apollinar. Carm. XV.

Digitized by Google

Indignans tacito ſic utraque muſſitat ore:
Jam non effugies, peſſime galle, necem.
Res ſequitur dictum: arripitur miſerabilis ales,
Ferrum ſomnifugo ſtridula colla ſecat.
Nec melior fortuna fuit, cantore necato;
Quin ambæ durum vix ſubiêre thorum,
Tranſiliant parci ne tempora juſta ſoporis,
Ædes diſcurſat, Thyadis inſtar, hera.
Sic gravibus qui ſæpè malis emergere credit
Incautè præceps in graviora ruit.
Vera nimis famulas habet hæc ſententia teſtes,
Queis merces facto digna repenſa ſuo.
Pro galli cantu, geminas ex ore Charybdis
In Scyllæ fauces ſæva retruſit anus.

---

26. *Thyadis.* Thyas erat Bacchi ſacrificula. Bacchatur, qualis commotis excita ſacris Thyas. *Virg. Æneid.* 4. *v.* 302.

FABULA VII.

Satyrus & Viator.

Cum natis ſatyrus cœnare parabat in antro,
Jamque ferunt avidi proxima labra cibis.
Et patrem ſimul & matrem cum prole frequenti
Muſcoſo videas accubuiſſe toro.
Stragula nulla quidem ſubſunt, nullique tapetes;
Parva ſed hæc penſat commoda, magna fames.
Advenit intereà torpens algore viator,
Ut venti effugiat vim pluviique Jovis.
Haud expectatus quanquàm ſucceſſerat antro,
Eſuriem appoſitâ pulte levare rogant.
Nec ſatyro bis opus fuit hunc compellere: primùm
Afflatu digitos calfacit ille ſuo;
Dein ferventem eſcam (quippe ore tenellus) inhalat.
Attonitus capripes: quid, precor, hoſpes, agis?
Hâc manus arte caleſcit, olus frigeſcit & illâ.
Jam repete ergò tuum, dixit agreſtis, iter.
Me perdant Superi, ſi tecto incautus eodem
Unâ unquàm tecum nocte cubare velim.
Improbus ambiguo qui frigus & ore calorem
Emittit, cedat me procul atque meis.

3. *Frequenti.* Frequens quandoque pro multus.
——— Stipantque frequentes.
Virg. 4. *Æneid.* v. 116.

FABULA VIII.

Lupus & Equus.

QUANDÒ viget zephyris rediviva tepentibus herba,
Solibus ac vernis victa receſſit hyems ;
Et ſtabuli latebras ultrò pecus omne relinquit,
Paſſim ut fertilibus pabula quærat agris ;
Vidit equum lupus in prato viridante ſolutum :
Optima præda, inquit bellua læta nimis.
O fortunatum, cujus penderet ab unco !
Sis utinam vervex ! jam mihi cœna fores.
At nobis opus antè parare dolum. Ergò paremus :
Compoſito accedit tùm pede blandus equum.
Pœonis, inquit, alumnus ego ; cujuſlibet herbæ,
Quæ viret in pratis, vis benè nota mihi.
Morborum omne genus valeo depellere membris,
Nec, quòd ego mihimet blandiar, iſta loquor.
Si dominus Sonipes haud morbum aperire gravetur,
Ipſe lupus gratìs hunc medicabor ego.
Quippè ubi paſcit equus, qualis tu, compede liber,
Nos medici indicium novimus eſſe mali.
Planta mihi, inqnit equus, cæco dolet ulcere. Nulla
Pars morbis tot, ait doctor, amice, patet.

8. *Vervex.*
Qui Petroni nomen indunt verveci ſectario.
Plaut. cap. 4. 2. 40.

10. *Accedit equum* prò *accedit ad equum.*
——— Quas vento acceſſerit oras.
Virg. Æneid. 1. v. 205.

Infernas accede domos. *Æneid.* 5. v. 732.

Digitized by Google

Jamdudùm medicus claræ ſum gentis equorum
Quin & chirurgus, qui mihi ſummus honos.
Improbus hæc loquitur, meditans quo tempore dexter
Ægrotum arripiat dilaceretque ſuum.
Fraudem alter ſubolens impingit calcibus ictum,
Quo fracti dentes diſſiluêre lupo.
Hæc meritò patior, mœrens ait helluo ſecum,
Uſque ſuæ tractet quilibet artis opus.
Tempus ad hoc, ſolum lanionis munus agebas;
Herbarî-ne decet nunc tibi munus agi?

---

29. *Tempus ad hoc.*
Tempus ad hoc nobis hoſpita terra manet.
Ovid. l. 4. de Ponto, 14. Epiſt. v. 60.
Tempus ad hoc luſtris jam bis mihi quinque peractis;
Omne fuit muſæ carmen inerme meæ.
Idem. contrà Ibim.

30. *Herbarî* pro *herbarii.* Herbarius ſubſtantivum, ille eſt qui herbas earumque vires cognoſcit, & ex eis medicamenta efficit. Delion herbarius parturientibus ex eo cataplaſma impoſuit cum opio. *Plin. l. 2. cap. 17.*

FABULA IX.

Agricola & ejus Filii.

Fac opus aſſiduè, duroque incumbe labori,
Fundus herum fallit rariùs iſte ſuum.
Ditior accivit, propiori funere, natos
Agricola, & monitus his ſine teſte dedit.
Cara mihi ſoboles, agrum caveatis avitum
Vendere; theſaurum cæca recondit humus.
Haud mihi compertum, lateat quâ parte; patebit,
Nunquàm animum vobis ſi rude frangat opus.
Poſt ſectas ſegetes, iterùmque iterùmque fatiget,
Rimetur, ſubigat jugera veſtra manus.
Ut pater occubuit, proles raſtro atque ligone
Ex omni verſat parte, domatque ſolum.
Nil auri latitabat humo; at nova venit ut æſtas,
Majori meſſem fenore reddit ager.
Scilicet ut genitor ſapiens, obitum ante, docebat,
Theſaurus cuivis eſt ſuus ipſe labor.

1. *Fac opus.* Opus faciam, *i. e.* laborabo. *Teren. Eunuch.* 2. 4. 14.

FABULA X.

Mons parturiens.

IMMANES gemitus mons, partu urgente, ciebat;
   Huc accita gravi murmure turba ruit.
Quiſque Pariſiacis majores arcibus arces
   E partu expectat; muſculum at ille parit.
Falſis vera tegens depingit fabula vatem,
   Qui ſic audaci turgidus ore, canit:
Bella giganteæ pandam, impia bella, catervæ;
Deturbare polo quæ conjurata Tonantem.
Magna quidem ſpondet tanto promiſſor hiatu;
   Quid tamen attonito dat tibi ſæpè? Sonum.

4. *Parit.*
   At ille murem peperit. *Phæd. l.* 4. *fab.* 20.

FABULA XI.

Fortuna & Puer.

ADMISSUS ſtadio muſarum puſio, in alti
Extremâ putei margine ſtratus erat.
Stertebat ſecurus ibi : puerilibus annis
Culcitula atque thorus quidlibet eſſe poteſt.
Emenſus ſaltu denas bis & ampliùs ulnas
Vir probus hìc mediis occubuiſſet aquis.
Hàc tranſit Fortuna favens, placidèque ſoporem
E pueri membris officioſa fugat.
Vicinæ eripio, dixit, te, bellule, morti;
Mens, oro, poſthàc ſit tibi ſana magis.
Si tu decideras, culpaſſet vulgus iniquum
Me ſolam : in culpâ tu tamen unus eras.
Jam dic ingenuè, nùm te moroſa malignè
Feci adeò incautum ? Vix ea : pergit iter.
Sermoni plaudo. Quandò quis peccat in orbe,
Delictum in cæcam conjicit omne Deam.
Si qua fides nobis, omnes regit arbitra caſus,
Prima eſt cujuſvis cauſa-ve pars-ve mali.
Conſilio caruit quiſquam, ſe geſſit ineptè,
Intulit & rebus maxima damna ſuis ?
Sorte incuſatâ, credit ſe crimine ſolvi.
Sic nos inſontes ſemper, & illa nocens.

FABULA XII.

Medici duo.

CONVENISSE duo medici memorantur ad ægrum,
  Iſte boni vates ominis, ille mali.
Sic prior : è morbo revaleſcet languidus ; alter
  Excipit : imò ſuos eſt aditurus avos.
Rivales inter geminos lis magna movetur,
  Curando quæ ſit par medicina malo.
Morbidus interiit, poſtquàm ſententia vicit
  Luctifera ; indè tamen plaudit uterque ſibi.
Immodica, unus ait, vis morbi ſuſtulit ægrum ;
  Sic ego, ſic meritò vaticinatus eram.
Si mente audierat docili mea dicta, reponit
  Alter, vivus adhuc incolumiſque foret.

1. *Conveniſſe ad ægrum.* Ad Actium Varum frequentes conveniunt. *Cæſ.* 1. *bel. civ.* 13.

FABULA XIII.

Gallina ova pariens aurea.

OMNIA deperdit, quandò omnia captat avarus;
Hâc tibi fabellâ res manifeſta ſatis.
Quot ſurgunt anno ſoles, gallina ſolebat
Aurea inexhauſto tot parere ova ſinu.
Theſaurum condi mediâ cùm crederet alvo,
Dat letho volucrem, viſcera pandit herus,
Galliniſque dolens cernit vulgaribus intùs
Aſſimilem: ſolidas ſic ſibi demſit opes.
Sordida gens, furor inſanus quam torquet habendi,
Hæc utinam emendet pectus imago tuum!
Dùm properat nimis hoc diteſcere plurimus ævo,
Fit ſubitò pauper, qui modò dives erat.

---

3. *Soles* in plurali numero.
Tres adeò incertos cæcâ caligine ſoles
Erramus pelago. *Virg.* 3. *Æneid.* v. 203.

Digitized by Google

FABULA XIV.

Aſellus Sacra gerens.

CUM ſacra Junonis ferret, credebat aſellus
Se veluti Numen, ſupplice plebe, coli.
Compoſito incedit greſſu ambitioſus, & aure
Hymnos, thura ſimul, ceu ſua, nare bibit.
Errorem advertens tùm quidam: inſignis aſelle,
Stultum, inquit, faſtum pectore mitte procul.
Non tibi, ſed Divæ noſtri penduntur honores;
Scilicet hanc unam gloria tanta decet.
Ventoſâ quid mente tumes, indocte ſenator,
Quem geſtas clavo, non tibi fertur honos.

5. *Inſignis*, adject. derivatur à ſigno & propriè idem ſonat ac aliquo ſigno ab aliis diſcretus & ſeparatus.

Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo.

Virg. l. 3. Georg. v. 56.

Inſignis per tranſlationem dicitur clarus, præſtans, nobilis ob aliquam notam, ſive bonam, ſive malam, conſpiciendus: inſignis enim, ait Feſtus, tam ad laudem, quàm ad vituperationem inflecti poteſt.

Inſignem pietate virum. *Virg. l. 1. Æneid. v. 10.*

Et mea muſa poteſt proprio deprenſa colore
Inſignis vitiis forſitan eſſe ſuis.

Ovid. l. 4. de Pont. Eleg 13. v. 14.

Digitized by Google

FABULA XV.

Cervus & Vitis.

VINEA plus ſolito quæ ſe tollebat in auras,
Nonnullis qualem cernimus eſſe plagis;
Excepit profugum, inſtabant cui funera, cervum;
Tutas & latebras hoſpes amica dedit.
Elapſam prædam venantûm turba putabat.
Hinc velut eluſos jam revocare canes.
Incolumis cervus malè grato, proh ſcelus! audet
Mox ſervatricem rodere dente ſuam.
Auditur, redeunt, detruditur, interit ipſo
Bellua, quem fuerat depopulata, loco.
Exclamat lacrymans: talis mihi debita merces;
Ingratum doceant vos mea fata genus.
Concidit extemplò lethali vulnere fixus.
Expirantem inſtant dilacerare canes.
Supplicibus lachrymis venientûm morte ſub ipsâ
Nequicquàm aggreditur flectere corda virûm.
O qui criminibus, quod te ſervavit, aſylum
Polluis, ingratus cervus imago tua eſt.

17. *Criminibus.* Crimen pro malefacto.
Crimine te potui deſeruiſſe meo. *Ovid.* 2. *Heroid.* 18.
Nullum legiſtis crimen in arte mea.
Idem. l. 2. *Triſt. v.* 240.
Quæſitor Minos vitaſque & crimina diſcit.
Virg. Æneid. l. 6.
Crimen apud juriſconſultos etiam dicitur ipſa criminatio, ſive criminum accuſatio.

Digitized by Google

FABULA XVI.

Colubra & Lima.

VIVEBAT fabri tectis vicina colubra.
  (Vicinam hanc nullus gaudet habere faber.)
Illius hæc ingreſſa lares, ſibi pabula quærit.
  Verùm aderat ſolus, ferrea lima, cibus,
Infeſto aggreditur quam circumrodere morſu.
  Quid tibi vis ? placido pectore lima rogat ;
Anguicule imbellis, vecors, ignare. Laceſſis
  Quæ te vi ſuperat, duritieque, cutem ?
Fregeris antè tibi dentes, mihi quàm leve tollas
  Ramentum ; mihi dens temporis unus obeſt.
Ad vos, abjecti ſcriptores, fabula ſpectat,
  Dos quibus una, unus carpere quæque labor.
Tentatis dentes nequicquàm infigere ſcriptis,
  Queis toto uſque ſuum ſtabit in orbe decus.
Contra indefeſſos morſus livoris iniqui,
  Duritiem chalybis, ferri, adamantis, habent.

---

5. *Verùm.*
  Verùm hæc tantùm, alias inter, caput extulit urbes.
    Virg. 1. *Eglog. v.* 25. *Idem.* 1. *Georg.* 418. *Æneid.* 2. 602.

FABULA XVII.

Lepus & Perdix.

Irridere nefas miſeros. Quis novit an aura
Sortis ſit felix uſque futura ſibi ?
Quod gemino exemplo, ſapiens Æſope, docebas,
Uno & conſimili carmina noſtra monent.
Cum lepore ejuſdem perdix erat hoſpes agelli;
Ducebant placidos hîc, ſine lite, dies.
Turba canum adventat, lepus ut propè conſpicit hoſtes,
Proripit in vallum ſe, mora nulla, ſuum;
Abditur, & ſolito latrantes decipit aſtu;
Luſus es ambiguis, Harpaſos ipſe, dolis.
Tandem ſpiritibus ferventi è corpore miſſis,
Invitus latebram prodidit ipſe ſuam.
Ex noto leporem Leucon ſpartanus odore
Collegit, phyſicæ non rudis, eſſe ſuum;
Acer & inſequitur; nuſquàm mentitus Hylàctor
Admonuit leporem rursùs iniſſe fugam.
Iſte cubile ſuum repetit moriturus, acerbo
Deridet perdix triſtia fata joco:
Qui modò jactabas te curſu æquare ſagittam,
Quò ceſſit levitas, dic, precor, iſta pedum ?

---

10. *Harpalos* eſt nomen canis venatici, apud Ovid. *l.* 3. *Metam.* *v.* 222.

Harpalos & Menaleus, hirſutaque corpore Lachne.

13. *Leucon* eſt nomen canis venatici, apud Ovid. *lib.* 3, *Metam.* *v.* 218.

Et niveis Leucon, & villis Abſolus atris.

15. *Hylactor*, canis venaticus, apud Ovidium, *l.* 3. *Metam.* *v.* 224.

——— Et acutæ vocis Hylactor.

Ridentem ſimilis ſors occupat : invenit auceps
  Dirus avem. Pennâ præpete rapta fugit.
Se fore credebat ſalvam ; ſpes vana, cruentus
  Ungue truci vultur quam vetat eſſe ratam.


Digitized by Google

FABULA XVIII.

Aquila & Bubo.

Rex avium & bubo ſedarunt jurgia tandem ;
Amplexus pacis pignus utrinque fuit.
Alter & alterius decernunt parcere pullis,
Hic dat bubonis, regis & ille fidem.
Noſtin', amice, meos ? ſcitatur Palladis ales.
Ille negat. Doleo, mœſta reponit avis.
Indè miſellorum teneræ metuo omnia pelli ;
Si ſervem incolumes, gratia ſortis erit.
Tu rex, nil curas nullumque ; pari ordine cuncta
Dî, reges (quidquid commoneamus) habent.
Interiêre mei, fueris ſi nactus, alumni.
Oſtende, alter aït, vel mihi pinge tuos.
Securi vivant : minimè, dùm vixero, tangam.
Tùm bubo : eſt pullis forma venuſta meis.
Exſuperant ſocios blando ore, nitentibus alis,
Hìnc noſtros primâ noſcere fronte potes.
Fixa animo memori ſtent hæc tibi ſigna, cruentet
Ne per te noſtros impia Parca lares.
Poſt paulò Superis, fetus enixa, benignis,
Exiit ad paſtum noctua : veſper erat.
Fortuito aſpectu videt ales regia, (rupis
Neſcio an in latebris, in tuguri-ve cavo)
Corporis anguſti turpiſſima membra, Megeræ
Queis vox, queis vultus triſtis & horridulus.
Non ſocii hæc proles : mittamus, dixit, in alvum,
Ales edax, parcè non epulata fuit.
Illa leves epulas neſcit : mox bubo reverſus ;
Pullorum, heu ! cernit vix ſupereſſe pedes.

Jam quid agat? Queritur, luget, Divoſque precatur
Sacrilegum plectant, qui ſibi damna tulit.
Tùm quidam: cauſa es miſerandi funeris una,
Imò qui matrum pectora cæcat amor.
Quæque ſuam genitrix credit ſobolem eſſe venuſtam,
Dignamque imprimis laude & amore canit.
Deſcripſiſti aquilæ ſic pullos mater. An illis
Egregiæ formæ vel rudis umbra fuit?



FABULA XIX.

Leo ad bellum profectùrus.

GRANDIA cœpta leo meditans, ſe ad bella parabat:
Convocat ergò duces, concilioque ſedet.
Mittuntur, properantque feras accire miniſtri;
Militiæ in partem quemque venire juvat.
Certatim accurrunt, ut regia vota ſecundent,
Hic animis, alter viribus, ille dolis.
Tùm leo: portabit turres elephantus & arma,
De more & ſolito congredietur, ait.
Callidior vulpes, apud hoſtem, cœca fovebit
Fœdera, ad aſſultus impiger urſus erit.
Simia ſcurriles quæ callet fingere motus,
Hoſtem detineat ſaltibus atque jocis.
Dimitte, unus ait, quos tardat inertia, aſellos,
Et lepores, vano pectora fracta metu.
Haud faciam, rex inquit, & his ſua munia ſervo,
Si deerant, acies haud mihi juſta foret.
Voce metum ſpargens tubicen ſit noſter aſellus,
Curſoris peraget munia ritè lepus.

---

6. *Hic animis.* Hic, pronomen, ad libitum contrahitur, vel producitur.

Hic meret æra liber Soſiis, hic & mare tranſit.
Horat. Art. Poët.

Stultus & improbus hic amor eſt dignuſque notari.
Idem. l. 1. Sat. 4.

Vir vir, hic eſt, tibi quem promitti ſæpiùs audis.
Virg. 6. Æneid. 791.

Digitized by Google

Conſultus verè princeps & mente ſagaci
  E vulgi minimis commoda certa capit.
Dignoſcit, quaſnam ſit quilibet aptus ad artes;
  Nil tibi, ſi ſapias, utilitate caret.

FABULA XX.

Urſus & duo Socii.

EXHAUSTAM gemini ſocii ſenſêre crumenam ;
Mercatoris (erat pellio) tecta petunt.
Scitantur pellem-ne velit mercarier urſi ?
Vivit adhuc : perimet ſed modò noſtra manus.
Urſorum eſt princeps. Tu pellem quandò tenebis ,
Largior hinc auri vis tibi ſpontè fluet.
Arcebit denſis aſperrima frigora villis ,
Non unam , at geminas muniet illa togas.
Mopſus oves proprias non tam jactare ſolebat ,
Urſum ut ventoſus jactat uterque ſuum.
Nempè ſuum credunt , ſed non ità bellua : pellis
Tradita , ſic jurant , tres erit ante dies.
Deindè juvat pretium cum mercatore paciſci :
Utque fidem exolvant , mox nemus ambo petunt.
Offendunt urſum , greſſu hos petit ille citato :
Fulmine ceu tacti , diriguêre metu.
Ergò neceſſe fuit pactum reſcindere. Ab urſo
Fenoris indè ſibi nil petiêre viri.
Hic raptim ſcandit præcelſæ cacumina quercûs ,
Nudâ ille incubuit pectore pronus humo.

---

5. *Princeps* , adject. ſignificat aliquandò præcipuum. In jure civili longè omnium princeps Servius. *Cic. de Claris. Orat.* 151. Philoſophorum princeps & auctoritate Socraticus Ariſtippus. *Idem* , *Tuſcul.* 28.

20. *Pectore pronus.*

——— Totaque ego pectore pronus.
Ovid. Metam. l. 9. *v.* 45.

Marmore frigidior, fingit ſe lumine caſſum,
Arctiùs includit narem, animamque tenet.
Corporibus, modò ſint immota, nec aëra ducant,
Audierat libycam parcere ſæpè feram.
Fictâ morte animal ſtolidum deluditur: artus
Cernit humi fuſos, exanimoſque putat.
Bis volvit, metuens fraudem, roſtrum admovet ori;
Olfacit &, nares quâ ſubit aura, viam.
Jam fœtet, cedamus, ait, patet eſſe cadaver;
Dixit, & ad ſilvæ proxima luſtra redit.
Mercatorum alter deſcendit vertice ſummo
Arboris, ad ſocium provolat undè ſuum.
O mirum excepto quòd tu mala nulla timore
Senſeris! illa urſi, dic age, pellis ubi eſt?
At te convolvens, quidnam tibi dixit in aurem?
Nam roſtro afflavit te propiore fera.
Hoc unum: urſinam cave poſthàc vendere pellem,
Fuderit antè urſum ni tua dextra ſolo.

---

22. *Animam.* Anima pro oris halitu, ſeu ſpiritu.
——— Animam compreſſi.
Terent. Phorm. 5. 6. 28.
—— Animamque tenens, veſtigia furtim
Suſpenſo digitis fert taciturna gradu. *Ovid.* 1. 4. 25.

31. *Deſcendit vertice.* Deſcendere non ſemper poſtulat propoſitionem à vel ab.
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.
Virg. Æneid. 4. v. 159.
Ultor ad ipſe ſuos cœlo deſcendit honores.
Ovid. Faſt. 5. v. 551.

37. *Urſinam.* Urſinus, quod ad urſos pertinet. Urſinus ſanguis. *Columel. de Arboribus*, *cap.* 15. Quoniam in urſinam rabiem agat. *Plin. l.* 8. *cap.* 36.

FABULA XXI.

Aſinus Leonis pelle indutus.

INDUERAT ſe aſinus villoſâ pelle leonis,
Quò fert cumque pedes, hunc timor antevolat.
Vile animal, deſit quamvis ſibi Martia virtus,
Rura per & ſilvas corda tremore quatit.
Sorte malâ, auris apex patet, erroremque dolumque
Arguit: ergò Syrus munus obire ſuum.
Ille ad piſtrinum quod trudat fuſte leones,
Plebs cui nondùm aſini fraus patefacta ſtupet.
Nomine multorum reſonant Franca oppida, fortes
Queis eſſe imprimis bellica pompa dedit.

---

6. *Syrus* eſt apud veteres nomen hominum ignobilium, vulgò ſolebant ſervi hoc nomine appellari.

Tune Syri, Damæ, aut Dionyſi filius audes
Dejicere è ſaxo cives, aut tradere Cadmo?

Horat. lib. 1. *Sat.* 6.

Finis Libri quinti.

Digitized by

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER SEXTUS.

FABULA PRIMA.

Paſtor & Leo.

NON ſunt fabellæ id primâ quod fronte videntur;
  Vel minima hîc pecudum noſtra magiſtra ſedet.
Nuda animo ſordet morum doctrina : venuſtâ
  Hanc tege fabellâ, pectus amica ſubit.
Figmentum debet nos delectare docendo :
  Narras ut narres ? Quid tibi laudis erit ?

Digitized by Google

Hâc ideò arte viri genium exhilarare jocoſum
Solertes, ſummum promeruêre decus.
Luxuriemque ſtyli, & nimios fugêre paratus;
Excidit his nunquàm futilis ore ſonus.
Quin Phædrus quoſdam læſit brevitatis amore
Verborum: Æſopus ſed mage parcus erat.
Imprimis ſcriptor peperit quem Græcia, jactat
Se paucis cultè dicere multa modis.
Verſiculis quatuor rem contrahit: an benè, nec-ne,
Viderit Aonii turba perita chori.
Hunc audi Æſopumque ſimul: pecorum iſte magiſtrum,
Venatorem oculis exhibet ille tuis.
Eventûs ſeriem refero, intertexere quamvis
Pauca ſubindè juvet marte reperta meo.
Sic fermè Æſopus: paſtor numeraverat agnos,
Et plures caulis vidit abeſſe ſuis.
Conſtituit quâcumque viâ deprendere furem;
Et loca ſpeluncæ quæ propiora, petit:
Auctoreſque lupos furti ratus, undique circùm
Tendit captandis fila doloſa lupis.
Summe Deûm, exclamat, fac, me inſpectante, ſceleſtum
Innecti his, poſuit quas mea dextra, plagis.
Si priùs hæc dederis ſpectacula grata videre,
Quàm me iſto cogat veſper abire loco,
Bis deni in noſtris vituli præſepibus adſunt,
Aras, juro, cadet pinguior ante tuas.
Dùm loquitur, præceps ſpeluncâ erumpit ab imâ
Terrificus vultu, robore, mole leo.
Semianimus latitat paſtor, ſeque increpat iſtis:
Heu! dùm vota facit, quàm malè cautus homo!

---

7. *Ideò* pro *ob hanc rem*, *idcircò*.
— Graiumque ideò bis vindicat armis. *Virg. l.* 4. *v.* 228.
27. *Summe Deûm.* Ita Virgilius, *l.* 11. *Æneid. v.* 785.

Digitized by Google

O Rex Cœlicolûm, poſſim ut reperire latronem

Qui gregis eſt peſtis, pernicieſque mei,

Aſpicere & noſtris incluſum retibus, antè

Quàm nox admoneat me remeare domum,

Sum tibi pollicitus vitulum; ſed longiùs, oro,

Nunc nunc fac abeat; bos tibi munus erit.

Sic fabellarum Pater: illius æmulus auctor

Ut factum, mutans pauca, renarret, habe.

FABULA II.

Leo & Venator.

Venator quidam paulò jactantior acrem
  Perdiderat, mater cui generoſa, canem;
Et ratus hunc vaſto tumulatum in ventre leonis,
  Paſtorem quemdam conſpicit atque rogat:
Tecta mei oſtendas ubinam ſint furis, amabo;
  Iram mox faxo ſentiat ille meam.
Cui paſtor comis: nemoroſum en aſpice montem,
  Latro habitat nigram non procul indè ſpecum:
Sedulus ipſi agnum ſolvo, cùm luna recurrit;
  Hinc me ſecurum quàlibet ire ſinit.
Dùm tales fundunt voces, leo fauce cruentâ
  Emicat è latebris, acceleratque gradum.
Retrorsùm thraſo ferre pedem. Proh Juppiter! inquit,
  Hoſpitium monſtres, quo mihi tuta ſalus.
Pectòris impavidi vis tantùm vera probatur,
  Maxima nos propiùs quandò pericla premunt.
Mox ea qui fortis quærebat, cernat adeſſe,
  Mutatâ trepidus mente repentè fugit.

Digitized by Google

FBULA III.

Phœbus & Boreas.

Seſe in fortuitos imbres nimboſque viator
Aptè munierat ; Sol, Boreaſque vident.
Jam gravis Autumnus nubeſque notoſque vocabat.
Tùm faciat nemo, ni benè tectus, iter.
Nube ruit pluvia, irradiat Sol, præmonet Iris,
Penula ad inſtantes non tibi deſit aquas.
Autumni hinc dubios menſes dixêre latini ;
Noſter homo ad pluvias ergò paratus erat.
Pallia craſſa tegunt valido circumdata panno ;
Tectum, inquit Boreas, ſe ſatis iſte putat.
At quid ego mediter, certè non præſciit : illum
Perflabo inſolitis ſuccutiamque modis.
Stabit nulla meam contra vim fibula ; ſedem,
Si volo, tartaream penula rapta petet.
Res nòs oblectare queat, cupis hancne videre ?
Quid tibi tot verbis, Cynthius inquit, opus ?
Nunc age, nòs poſito certemus pignore ; tollet
Qui prior huic equiti pallia, victor erit.
Incipe, ad arbitrium, nubes jam collige aquoſas ;
Infuſca radios, nocte nigrante, meos.
Hic folles flatu ſuperans, in ventre vapores
Aggerat intrudens, & tumet inſtar utris.
Tartareo bacchans ſtrepitu, totum aëra turbat
Sibilat, immugit, concutit omne ſolum.

14. *Petet. Petere pro ire.*
Antrum immane petit. *Virg. Æneid. l. 6. v. 11.*

Quà volat, inſontes ruit ædes atque carinas;
  Unaque totius penula cauſa mali.
Preſſa arctè manibus geminis homo pallia ſtringit,
  Ne quâ ſeſe intrò parte procella ferat.
Nil potuit Boreas, quò ſeſe torſit anhelans
  Valdiùs, hoc contra fortiùs ille ſtetit.
Nequicquàm exagitat collare, ſinuſque pererrat,
  Tandem quo debet ſiſtere, tempus adeſt.
Sol tunc ſubridens nebulis totum aëra purgat,
  Et recreans leni permeat igne virum.
Sudat eques: nimio demùm compellitur æſtu
  Ut ſua, depoſito tegmine, membra levet.
Sic Phœbus vicit, totis nec viribus uſus.
  Vis blanda exequitur, quod violenta nequit.

---

25. *Ruit ædes* Cæteros ruerem, *id eſt*, everterem, dejicerem, *Terent. Adelph.* 3. 2. 21.

Cumuloſque ruit malè pinguis arenæ.

Virg. 1. *Georg.* 105.

——— Spumas ſalis ære ruebant.

Idem. Æneid. l. 1. *v.* 39.

30. *Fortiùs.* Reſiſtere fortiter. *Quintil. l.* 6. *cap.* 4.

38. *Vis violenta.*

Quo in genere imprimis vis eſt violenta leonum.

Lucret. l. 3. 297.

FABULA IV.

Jupiter & Villicus.

Ab Jove fundus erat quondàm certo ære locandus.
  Mercurius vulgat, ruſtica turba venit.
Proponunt pretium, auſcultant & ſæpe reponunt:
  Nec ſine circuitu res agitata fuit.
Damnoſi nimiùm, hic dixit, durique laboris
  Eſt humus; ille aliud quod reprehendat, habet.
At dùm contendunt magnis clamoribus, unus
  Plus reliquis audet, nec magis ille ſapit.
Herculè tot nummos, inquit, numerabo quotannis,
  Si moderer varias aëris ipſe vices.
Det mihi ad arbitrium Deus æſtum, frigora, ventos;
  Fiat, ut annuero, ſicca vel uda dies.
Juppiter aſſentit, fit pactum, auraſque potenti
  Ordinat agreſtis, rex novus, arbitrio.
Arceſſit ventum, varios mox advocat imbres,
  Cœlum uni proprium ſic facit ipſe ſibi.
Quidquid agat, nihilo plus hoc vicinia tota
  Sentit, quàm populi quos America tenet.
Vicinis multò fuit hinc felicior annus,
  Area frumentis, cellaque plena mero.
Villicus infelix ſpe frugum eſt luſus inani.
  Annum deindè novum tempora verna ferunt.
Culturam inſtituit campi mutare colonus,
  Cœli habitum invertit temperiemque ſui.
Rurſùs ager mendax hominem fruſtratur. Opimam
  Vicinis ſegetem fundit amica Ceres.

Digitized by Google

Ille Jovem ſupplex adit, erroremque fatetur,
Et mitem dominum comperit eſſe Jovem.
Quid nobis ſit opus, meliùs quàm novimus ipſi,
Novit, cui rerum provida cura, Deus.

---

28. *Comperit.*
Comperit invidiam ſupremo fine domari.
Hor. Epiſt. 1. *l.* 2. *v.* 12. *de Hercule.*
Comperit, *id eſt*, didicit, expertus eſt invidiam, &c.

FABULA V.

Parvulus Gallus, Felis & Muſculus.

Musculus ætatis teneræ, ſtolidusque rudiſque,
 Penè ſuo imprudens captus ab hoſte fuit.
Sic matri caſum retulit : me tuta juvabat
 Clauſtra meæ patriæ jam ſuperaſſe juga.
Ibamque exultim, teneris ut muſculus annis,
 Qui campo geſtit liberiore frui.
Cùm duo mî tenuêre oculos animantia; dulcè
 Ridens uni oculus, fronſque benigna nitet.
Alteri atrox vultus, fera mens, exoſa quietem,
 Vox cujus rancos reddit acuta ſonos.
Panditur à tergo, criſtæ inſtar, plumea cauda :
 In ſummoque ruber vertice ſurgit apex ;
Atque humeris hærent duo tanquàm brachia, ſursùm
 Quæ vibrat quatiens, ceu volitare velit.
At quod matri animal natus deſcripſit, ab Indis
 Tanquàm oris miſſum, gallulus illud erat.
Dùm geminas, inquit, feriebant brachia coſtas,
 Vicina hinc fremitu contremuêre loca.

---

4. *Juga.* Jugum *pro* colle, *aut* monte.
 Hoc ſuperate jugum, & facili te tramite ſiſtam.
 Virg. Æneid. 6. v. 676.

7. *Tenuêre oculos.* Oculos artificum pictura tenet, i. e. in ſui admirationem adduci. *Plinius*, *Epiſt* 50. Adhibitâ verò exercitatione & arte ut oculi picturâ teneantur. *Cic.* 4 *Acad.* 20.

8. *Uni.* Unus *pro* alter. Cùm duas cerneret vias, unam virtûtis, alteram voluptatis. *Cic. in Offic.* 1. 118.

12. *Apex.* Aliquandò ſumitur pro criſtâ avium, ut in pavone, galeritâ, upupâ, & gallinaceo genere. Capite, paucis animantium, nec niſi volucribus, apices quidem diverſi generis. *Plin. l.* 11. *cap.* 27.

Digitized by Google

Me quanquàm fortem finxerunt Numina, toto
Huic mala mille precans pectore, terga dedi.
Si procul hic animans diſceſſerat, alterum adiſſem
Tam miti ingenio, qui mihi viſus erat.
Huic corpus maculis aſperſum, oblongaque cauda,
Quin & villoſam veſtem, ut habemus, habet.
Eſtque verecundi vultûs, habitûſque modeſti,
Sidereo igne tamen lumina blanda micant;
Atque gerit noſtris germanas auribus aures:
Indole congenerem muribus eſſe reor.
Accêſſem propiùs, quandò me compulit ales
Horrendùm ſtridens, vertere terga metu.
Hæc fera blanda, refert mus, felis, nate, vocatur;
Ficto vultu in nos vota ſiniſtra tegit.
Lædere nos neſcit tibi deteſtata volucris,
Imò fortè cibus poſtmodò noſter erit.

---

20. *Terga dedi.* Terga dare *pro* fugere.
——— Et ſuevos terga dediſſe. *Ovid. ad Liviam.* 312.
Cùm tu terga dares, inhoneſtaque vela parares.
Idem. Metam. 13. 224.

21. *Hic animans.*
——— Hic ſtilus haud petet ultrò
Quemquam animantem. *Hor. l.* 2. *Sat.* 1.

22. *Miti ingenio.*
——— Ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Ovid. l. 13. *Metam. v.* 6. *&* 7.

27. *Gerit aures.* Gerere, *pro*, habere.
Virginis os habitumque gerens.
Virg. Æneid. 1. *v.* 319.

30. *Fera blanda.* Lege notam quartam fabulæ tertiæ libri primi, in quâ probamus ab Ovidio diſtingui duplicis generis feras, quarum aliæ ſunt manſuetæ, quales ſunt equus & armenta, ſeu greges boum; aliæ immanſuetæ, cujuſmodi ſunt tigres, lupi & urſi.

Felis at in nobis cœnæ ſpem ponit opimæ :
Uſque cave, faciat frons tibi prima fidem.

---

36. *Frons prima.*
Decipit frons prima multos. *Phædr. l. 4. Prolog.*

FABULA VI.

Vulpes, Simius & Animantia.

Occubuit poſtquàm leo, qui, dùm vita manebat,
Imperii in vaſtis frena regebat agris:
Solemnem in cœtum pecudes fert fama vocatas,
Quæ regem dignum regna tenere, legant.
E capsâ dives cidaris depromitur, illam
Servabat tutâ pervigil arce draco.
Aſtantûm capiti cuivis imponere tentant,
Frontibus at nullis apta tiara fuit.
Latius his caput eſt, illis exilius, iſtis
Cornutum, hanc aptat ſimius ipſe ſibi.
Diſtorquet vultum, joculans, circaque coronam
Verſans mille modis, flexile corpus agit.
Trajicit & velox mediam, ceu circulus eſſet;
Spectantes cepit ludicra ſcena feras.
Illum optant regem ſtudiis concordibus omnes,
Omnes & fidei pignora certa ferunt.
Sola dolet, ſua quòd dederit ſuffragia, vulpes.
Mœrorem at tacito callida corde premit.

---

1. *Vita manebat.* Hæc locutio eſt frequens apud Virg. *pro* dùm vixit.

Hic, quibus inviſi fratres, dùm vita manebat.

Virg. 6. Æneid. 608.

5. *Cidaris.* Eſt tegumentum capitis regum inſigne, quod quidam regum Perſarum, aliî regum Armeniæ eſſe dicunt. Hæc Bayſius. Sæpè cidaris cum diademate confunditur; juxta Budæum, cidaris non multùm differt à tiarâ: undè promiſcuè ſumi poſſunt.

Digitized by Google

Gratatur regi paucis, & dicit in aurem:
  Plena auro, ſoli nota latebra mihi eſt.
Theſaurus quivis tuus eſt, ô maxime princeps,
  Illud majeſtas regia juris habet.
Rex novus occœpit jam fulvo inhiare metallo,
  Huc, ne ludatur, fervidus ipſe volat.
Cœcis, qui ſuberant, laqueis improvidus hæſit:
  Tùm vulpes, cœtûs nomine, verba facit.
An vacuo neſcis qui te regere ipſe cerebro,
  A te poſſe regi nos, maleſane, putas?
Ejicitur regno. Conclamat curia tota:
  Rarum eſt, conveniat cui diadema, caput.

Digitized by Google

FABULA VII.

Mulus ſuum genus jactitans.

PONTIFICIS mulus ſeſe jactabat ineptè,
   Tollebatque ſuum creber ad aſtra genus.
Facta parentis equæ memorabat; talia geſſit
   Noſtra parens, tales ivit & illa vias.
Se velit hinc faſtis inſcriptum filius: hinc, ſi
   Servierit medico, degeneraſſe putet.
Piſtrino damnatus ubi eſt, ſubeunte ſenectâ,
   Tandem aſini patris cogitur eſſe memor.
Si proſit tantùm, rationi ut reddat ineptum
   Sors mala, jure aliquà dixeris eſſe bonam.

10. *Aliquà*, adverb. pro aliquo pacto, aliquâ ratione.
Et, ſi non aliquà nocuiſſes, mortuus eſſes.
Virg. 3. Eglog. v. 13.

FABULA VIII.

Senex & Aſellus.

DUM faciebat iter jejuno vectus aſello,
Vidit læta novo gramine prata ſenex.
Huc pecudem mittit. Tenuem hæc irrumpit in herbam,
Se ſcalpit, verſat, perfricat, atque canit:
Exilit & paſcit, loca gramine plurima nudat.
Intereà clamor tollitur; hoſtis adeſt.
Continuò ſenior, fugiamus, territus, inquit.
Quid cauſæ? quærit mente procace pecus.
Clitellas an ego duplices cum pondere duplo
Cogar ferre? Senex rem negat, atque fugit.
Ergò, cui famuler, quid refert? Proripe te ipſum,
Securumque ſinas me ſaturare famem.
Miſſo circuitu fateor: nil jam mihi tecum.
Qui dominus meus eſt, hoſtis hic ille meus.

14. *Hic ille.* Huic illi legato. *Cic. pro Flacco*, 51.

FABULA IX.

Cervus ſe in aquis intuens.

ÆSTIVAM ſaliente ſitim cùm fonte levaſſet
  Cervus, ſe vitreis eſt ſpeculatus aquis.
Ardua inexpletùm contemplans cornua laudat,
  Nec potis eſt æquâ mente videre pedes.
Prælongos nimis eſſe dolet, nimis eſſe minutos,
  Heu! quorum in lymphis tenuis imago perit.
Exclamat querulus, gracilem dùm conſpicit umbram.
  O cedunt capiti quàm mea crura meo!
Præcelſi fruticis frondoſa cacumina fronte
  Aſſequor, è pedibus gloria nulla meis.
Talia jactantem canis occupat: alite plantâ
  Cervus ſilvarum frondea tecta petit.
Hìc trepidus quàcumque ferat veſtigia, frontis
  Ornamenta inhibent exitioſa fugam.
Qui poſſint ſoli certam præſtare ſalutem,
  Optatum nequeunt munus obire pedes.
Mutatis animis improvida verba retractat,
  Devovet & diris annua dona Deûm.
Sic eſt: arridet nobis pulchrum, utile ſordet:
  Noſtra ſed è pulchro ſæpè ruina venit.
Exitii cauſam, miratur cornua cervus;
  Faſtidit, proſint qui levitate, pedes.

---

6. *Tenuis.*

Tenuis ubi argilla, & dumoſis calculus arvis.
Virg. 2. *Georg.* 180.

Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Idem. 1. *Georg.* 392.

Non prætoris erat ſtultis dare tenuia rerum
Officia. *Perſ.* 5. *Sat.* 93.

FABULA X.

Lepus & Teſtudo.

Currere nil prodeſt; ubi poſcit tempus, eundum:
 Hoc teſtudo probat lenta, celerque lepus.
Te prior, hæc lepori dixit, metam aſſequar iſtam:
 Ecce meum pignus, nec mora, pone tuum.
Me prior? anne ſapis? levipes reſpondet; amica,
 I, purga helleboro terque quaterque caput.
Deſipiam, ſapiamve, libet contendere tecum:
 Tunc poſitum ad metam pignus utrumque fuit.
Quid poſitum, vel quis judex fuit? Hoc nihil ad rem.
 Paſſus vix quatuor debuit ire lepus.
Nec tu qualeſcumque puta, at quos conficit, illum
 Cùm propè venantûm concita turba premit,
Atque canes pedibus metiri jugera cogens,
 Se procul his celeri ſubmovet ipſe fugâ.
Edormire poteſt, paſci, aut expendere, ſpiret
 Quis ventus: ſuperant otia tanta ſibi!
Carpit iter teſtudo ſuum, prætoris & inſtar,
 Feſtinat lentè, creſcit eundo vigor.
Hæc lepori noſtro victoria parva videtur;
 Eſſe ſuæ laudis ſeriùs ire putat.

---

5. *Levipes*, adject. *i. e.* celer & pedibus levis. Lucius Ælius putabat ab eo dictum leporem, quòd levipes eſſet. *Varr.* 3. *de R. R. cap.* 12.

22. *Cordi.* Cordi eſſe, *i. e.* curæ eſſe.

——— Dîs pietas mea
Et muſa cordi eſt. *Hor.* 1. *Od.* 14. 14.
Quia uterque utrique eſt cordi. *Ter. Phorm.* 5. 3. 17.

Laſcivit nugax, gaudet ſaltare, morari,
Paſcere, ceu cordi non ſibi palma foret.
Æmula cœpit ubi jam penè attingere metam,
Longæ damna moræ vult reparare lepus.
Emicat, aligero citiùs ſecat aëra telo;
Nititur incaſsùm; pervenit illa prior.
Eho! conclamat victrix, nùm falſa canebam?
Dic age: quid levitas te juvat iſta pedum?
Mene adeò tardam viciſſe? Quid ergò futurum,
Si tibi ſit, noſtro more, ferenda domus?

---

27. *Conclamat.*

——— Procul, ô procul eſte profani,
Conclamat vates. *Virg. 6. Æneid.*
Primus ab adversâ conclamat mole Caïcus.
Idem. 9. Æneid. 35.
Conclamat Niſus. *Ibidem.* 425.

Digitized by Google

FABULA XI.

Aſinus Dominos mutans.

Fata incuſabat mœrens olitoris aſellus,
   Surgere quòd dominus cogeret ante diem.
Nuſquàm ita maturè vigiles Titana vocarunt
   Galli, quin nobis pulſa ſit antè quies.
Quorsùm? quò viles herbæ portentur in urbem?
   Nùm tanti eſt, ſomnos ut mihi rumpat herus?
Sors ergò mutavit herum miſerata querelas:
   Huic ſub alutarî legibus eſſe dedit.
Læſa at odore gravi coriorum & pondere iniquo,
   Mox iterùm cœpit beſtia inepta queri.
Pœnitet, ha! temerè dominum liquiſſe priorem,
   Compreſſis ſecum muſſitat illa labris.
Saltem, ſi memini benè, fruſtula caulis inempti
   Furabar, quoties verteret ille caput.
Nulla ſed hîc recreant gratìs mihi pabula ventrem,
   Sunt epulæ tantùm verbera crebra meæ.
Auditur, ſervus jam fit poſtremus agreſti
   Venalis lucrum cui leve carbo facit.
Queſtum iterat. Sors indignans: quid? beſtia curas
   Quot centum reges, tot parit una mihi?
Se putat in terris unam, cui plurima deſint?
   Ipſius an ſolæ res mihi mente ſedent?

---

8. *Alutarî.* Alutarius idem eſt ac coriarius, ſeu pellium & coriorum concinnator. Oritur à vocabulo *Aluta*, quod ſignificat pellem, quam ſubegit & tinxit coriarius; ſubigebat autem & tingebat alumine & gallâ. Alutarius cerdo. *Plaut.*

Digitized by Google

Sic ſors, & meritò. Simili indole naſcimur omnes.
  Sorte ſuâ felix vivere nemo ſolet.
Uſque eſt deterior præſens fortuna, fatigat
  Terra polum, ſortem quòd petat uſque novam.
Cuique quod expoſcit, Jovis indulgentia donet;
  Rursùm obtuſa Jovi queſtibus auris erit.

FABULA XII.

Sol & Ranæ.

Cum celebraret ovans connubia feſta tyrannus,
Certabat curas mergere quiſque ſcyphis.
Unus at Æſopus, plebem quæ gaudia tanta
Expromit, ſanâ mente carere putat.
Phœbo erat in votis uxorem ducere: voce
Unâ ſtagnicolæ tùm ſua fata queri.
Et ſic ad ſortem: quâ nos tutabimur arte,
Olli progeniem ſi nova nupta creet?
Unum vix patimur ſolem: ſed ſolibus æquor
Totum exareſcet, quidquid & æquor alit.
Actum de ranis. Juncique & ſtagna valete.
Migrare ad ſtygias mox ſubigemur aquas.
Stagnorum cives, ſint quanquàm naris obeſæ,
Non inconſultè ſic doluiſſe reor.

---

8. *Creet.*
Quidnam futurum eſt, ſi creârit liberos?
Phædr. l. 1. Fab. 6.

FABULA XIII.

Ruſticus & Serpens.

AGRICOLÆ pietas, Æſopo teſte, benigna
Ut nimiùm, nimiùm ſic malecauta fuit.
Rem ſic enarrat: de more colonus avita
Prædia luſtrabat, dùm fera ſævit hiems.
Serpentem nivibus porrectum vidit in altis,
Torpentem, immotum, ſemianimemque gelu.
Hunc homo collegit, quæ factum inſigne manerent
Præmia non reputans, in ſua tecta tulit.
Molliter ante focum expandit, recreatque fovetque;
Titillat ſenſim blandula flamma feram.
Spiritus in venis & ſæva renaſcitur ira;
Colla effert paulùm, dein vibrat ore minas.
Terga plicat, ſaltuque petit malefidus amicum
Servatorem excors, ſacrileguſque patrem.
Hanccine mercedem reddis, ſcelus! inquit arator;
Quâ modo ſervatus jam moriêre manu.
Dixerat, atque ſuam (quæ juſtior ira?) bipennem
Arripit indignans, gorgoneumque ſecat.
Unus fit triplex anguis vi duplicis ictûs.
Hinc cauda, in medio truncus, & indè caput.
Subſultat ſerpens, quærit quà ſe ſibi totum
Conſociet, neque fas conſociare fuit.
Eſſe pius debes: in quem? Hic prudentia ſumma eſt.
At miſera ingratum funera quemque manent.

6. *Semianimem.*
Semianimemque ſinu germanum amplexa tenebat.
Virg. Æneid. l. 4. *v.* 686.

13. *Plicat.*
—— Seque in ſua membra plicantem. *Id. l.* 5. *v.* 279.

13. *Petit.* Petere *pro* laceſſere.
—— Me fraude petebas. *Virg. Æneid. l.* 4. *v.* 675.

FABULA XIV.

Leo ægrotus & Vulpes.

QUADRUPEDUM princeps morbo graviore jacebat
Intra ſaxoſæ tecta profunda domûs.
Edicto ſancit : me ex omni gente ferarum
Legati viſant : rex ego, ſicque placet.
Hos, ait, excipiam lautè, turbamque ſequentûm;
Regalem firmant noſtra ſigilla fidem.
Me quivis tali diplomate tutus adibit,
A noſtro metuat dente vel ungue nihil.
Principis imperio parent : ad regia tecta
Confeſtim pecudum mittitur omne genus.
Servavêre domum vulpes, cauſamque rogaret
Cùm quidam, ex illis protinùs una refert :
Scripta ſolo ſpectant veſtigia regis ad antrum
Omnia, nulla retrò : nos timor ergò tenet.
Ignoſcat princeps; ſacro munita ſigillo
Pignora dat fidei, pignora certa puto.
At benè cerno viam quâ fas hæc antra ſubire,
Non cerno, liceat quâ revocare pedem.

7. *Diplomate.* Diplomatis nomine vocantur litteræ publicæ regio ſigno munitæ. Diploma ſtatim non eſt datum. *Cicer.* 6. *fam.* 12.

Nota. Quòd ibi Cicero de Cæſaris litteris loquitur, quibus Balbus reſtituebatur.

FABULA XV.

Auceps, Accipiter, & Alauda.

PRAVI pravorum cauſari facta ſolemus,
 Lædere nos æquum quandò cupidò jubet.
Lex morum vetus eſt, totumque probata per orbem:
 Si tibi vis alios parcere, parce priùs.
Unâ fabellâ, tibi, lector, utrumque patebit.
 Ruſticus ad ſpeculum pelliciebat aves.
Incautam fulgens ſimulacrum illexit alaudam;
 Intereà gyrans nubila falco ſecat.
Devolat ad terram citior, ruit inque miſellam
 Quæ, propiore licèt morte, canebat, avem.
Hæc modò vitârat necis inſtrumenta doloſæ,
 Cùm ſe ſanguineo ſenſit ab ungue rapi.
Sævior imbellem dùm plumis exuit ales,
 Rete ſuperjecto captus & ipſe manet.
Me dimitte, inquit; nil te, auceps optime, læſi.
 Tene, refert auceps, læſit alauda magis?

---

11. *Necis inſtrumenta.*
Inſtrumenta necis ferrumque igneſque parantur.
Ovid. 3. Metam. 698.

Digitized by Google

FABULA XVI.

Equus & Aſinus.

MUTUAM opem debent omnes ſibi rebus in arctis,
  Vicini omne feres, ſi moriatur, onus.
Vadebat comiti minùs obſequioſus aſello,
  Et ſua tantùm humeris ſtrata ferebat equus.
Injuſtâ arcadicus ſub mole fatiſcit anhelans,
  Ah! tantiſper opem fer mihi, dixit equo.
Ni facias, urbem nequicquàm attingere luctor,
  Mox animam, vis eſt tanta doloris, agam.
Te, dilecte comes, minimè quod dedecet, oro:
  Dimidium tibi onus non niſi ludus erit.
Olli equus auxilium negat, & crepitando reponit.
  Deindè videt ſocium, faſce premente, mori.
Erroremque ſuum ſenſit, portare coactus
  Totum onus, extincti pelle ſuperpoſitâ.

---

4. *Strata.* Stratum aliquandò ſumitur pro equorum operimento. Equum empturus, ſolvi jubet ſtratum. *Senec. Epiſt.* 81. Frenos & ſtrata equorum, Pelethronium inveniſſe dicunt. *Plin. l.* 7. *cap.* 56.

FABULA XVII.

Canis, demiſsâ prædâ, umbram captans.

OMNES decipimur : numero comprendere non eſt
Quot paſſim ſtultos futilis umbra trahat.
Hos ſapere Æſopi doceat canis : ille videbat
Lympharum in ſpeculo, quam tenet ore, dapem.
Abjicit hanc ſimulachri avidus ; propè & occidit undis.
Fit ſubitò emotâ turbidus amnis aquâ.
Fluctibus obluctans potuit vix tangere littus ;
Effugêre ſimul corpus & umbra gulam.

---

1. *Non eſt* pro *non eſt poſſibile.*

——— Vos ſub conditione vocati
Fallere quos non eſt, hanc mihi fertis opem.
Ovid. l. 1. Triſt. 2. Eleg. verſ. ult.

7. *Tangere littus* vel *portum*, eſt advenire, pervenire ad littus vel portum.

——— Remoque & remige portus
Cecropios intrat, piræaque littora tangit.
Ovid. l. 6. Metam. 446.
——— Littora mittunt. *Idem. l. 15. v. 644.*
Ceu preſſæ cùm jam portum tetigêre carinæ.
Virg. 1. Georg. v. 301.

Digitized by Google

FABULA XVIII.

Auriga cœno detentus.

Cœno hæſit plauſtrum, quo fenum auriga vehebat;
Nullus adeſt, iſtum qui Phaëtonta juvet.
Contigit armoricæ res inferioris ad oram,
In campo, quà tunc nemo tenebat iter.
*Coriſopitanæ non longè à mœnibus urbis;
Huc Fatum, quos vult excruciare, vocat.
Nos talem vetet ire viam clementia cœli!
Noſter at implicitus ſe malè torquet homo.
Impos & ipſe ſuî furit, execratur, averno
Et lamas & equos, plauſtraque ſeque vovet.
Ac tandem ille Deum, cujus tot ubique labores
Fama canit, ſupplex orat adeſſe ſibi.

---

1. *Fenum.*
Fenum habet in cornu. *Horat.* 1. *Sat.* 4.
——— Colligere fenum.
Columel. *l.* 2. *de* RR. *cap.* 19.

3. *Ad* pro *juxta*, *coram*, *propè.*
——— Cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant. *Virg.* *Æneid.* *l.* 4. *v.* 134.

5. *Urbis.* Hæc urbs latinè dicitur Fanum Sancti Corentini, vocatur etiam Curioſolita, Coriſopitum.

7. *Ire viam.*
——— Longam incomitata videtur
Ire viam. *Virg.* *Æneid.* 4. *v.* 467.

10. *Lamas*, i. e. Lacunas, foſſas in agris, & aquarum receptacula.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
Hor. *Epiſt.* 13. *l.* 1. *v.* 10.

Digitized by Google

Alcide, cervix tua cùm portaverit orbem,
Eripere è cœno me tua dextra valet.
Vix Divum oravit, cùm vox ad ſupplicis aures,
Nubibus è mediis, illicò miſſa fuit:
Auxilio ſentit ſe quiſquis egere, laboret;
Hâc juvat Alcides conditione viros.
Quid ceſſas? Adverte, rotas quæ cauſa moretur;
Tolle lutum, implicitas quod tegit axe tenus;
Jamque bidente tuo, quod obeſt tibi, contere ſaxum.
Orbita ſaxoſâ dein cumuletur humo.
Feciſtin'? feci. Tum vox: tibi, amice, viciſſim,
Quod petis auxilium, mox mea dextra dabit.
Arripe nunc flagrum. Teneo: quid? jam mea ſponte
It rheda. Alcide, gratia magna tibi.
Dein vox: cernis equos facilè emerſiſſe lacunâ.
Sis tibi dexter opem ferre, Deuſque feret.

---

26. *Gratia magna.*

—— Gratia magna Jovi.

Tibul. l. 1. Eleg. 4.

Digitized by Google

FABULA XIX.

Circulator.

Ventoſos ſemper regio tulit omnis agyrtas,
Nullaque fertilior creſcit in orbe ſeges.
Provocat hic Erebum in ſcenâ: totam ille per urbem
Eloquium Tullî ſe ſuperare canit.
Clamabat quidam: cives, adducite quemvis
Moribus incultis ingenioque rudem,
Ignarus ſit, hebes, ſtolidus, ſit aſellus, aſellus
Tergeminus, mentem judiciumque dabo.
Me poſtquàm audierit Suadæ præcepta docentem,
Næ dignus longâ veſte magiſter erit.
Reſciit ut princeps jactari à rhetore tanta,
Mittit qui jubeant regia tecta petat.
Huncque ita compellavit; habent præſepia noſtra
Præſtanti Arcadicum corpore, crine rubrum,
Hic, vellem, orator fieret. Mora nulla, reponit
Noſter homo, princeps maxime, cuncta potes.

---

1. *Agyrtas.* Agyrta, æ. eſt vox ducta à voce græcâ, αγυρτης, quæ ſignificat eum qui congregat & in unum cogit.

Agyrtæ, αγυρται, apud græcos nominantur etiam ii, qui (congregatâ multitudine) pharmaca aliqua oſtentant, eaque prædicantes dividunt, miſerè ſimplici populo imponentes.

8. *Tergeminus*, propriè ſignificat idem, ac triplex, ſeu triplus. Eo ſenſu Virgilius dixit.

——— Triplici diverſa colore
Licia.

Et Horatius:

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat.

Sed *tergeminus* ſumitur etiam pro maximo & ampliſſimo,

Addit & accepto pretio : quem tradis alumnum,
Denas poſt hiemes, ſpondeo, doctor erit.
Stem niſi promiſſis, infami fune revinctus
Ducar per vicos, evehar inque crucem,
Geſtem aſini auriculas capite, & mea ſcrinia dorſo;
Strictoque obtortus guttura reſte premar.
Aulicus, hìc adero, dixit : tibi gratia multa,
Dùm pendebis, erit multus in ore decor.
Eloquii imprimis artem ſic exere totam,
Ut tu ſpectantûm corda movere queas.
Eſto, vi Suadæ, exemplar Ciceronibus illis,
Latrones vulgus quos vocitare ſolet.
Antè ſed acciderit quàm res, ait alter, aſello,
Aut regi veniet, vel mihi, ſumma dies.
Dixit vera ; decem vitæ ſi credulus annos
Quis ſibi promittat, non benè ſanus erit.
Vino, epulis genium curemus, de tribus unum
Debetur morti, poſt duo luſtra, caput.

---

ut Horatius, *l.* 1. *Od.* 1.

Hunc ſi mobilium turba quiritium
Certat tergeminis (*i. e.* maximis) tollere honoribus.

Et Martialis, *l.* 3. 46.

——— Tergeminum mugiet ille ſophos.

Id eſt, maximâ voce ſucclamabit ſophos.

14. *Crine rubrum.*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus :
Rem magnam præſtas, Zoïle, ſi bonus es.
Martial. l. 12. 54.

32. *Sibi promittat.*

Canitiemque ſibi & longos promiſerat annos.
Virg. Æneid. l. 10. *v.* 549.

FABULA XX.

Diſcordia.

Postquam cœlicolas inter Diſcordia pomo
Incendit rixas, juſſa migrare Polo eſt.
Hoſpitium dedit, errantemque excepit amicis
Ulnis quidam animans nomine dictus homo.
Duxerat & ſecum illa, *Tuumque-meumque*, parentem;
Eſt-non-eſt, frater, venerat ipſe ſimul.
At non mortales adiit, quos orbe remoto
Sub pedibus noſtris lunaque ſolque vident;
Non ibi poſſit obire ſuum Diſcordia munus,
Quòd ſint agreſtes & ſine fraude viri.
Ut ſe connubio ſocient, nec ſcriba vocatur,
Nec parochus, ſimplex ſupplet utrumque fides.
Diva igitur ſummo delapſa ex æthere, noſtras
Dignata eſt aliis præpoſuiſſe plagas.
Prævertens pacem in varios ſe ferre ſolebat
Prompta locos, quoties famaque reſque vocant.
Provolat ad rixas, ſcintillam vertit in ignem,
Cui reſtinguendo non ſatis una dies.
Fama queri tandem cœpit, graviterque dolere,
Hæc Dea quòd certos nollet habere lares.
Sæpè, ait, hanc quæro vano defeſſa labore;
Sedem ergò ſtabili figat in hoſpitio.

---

22. *Sedem figat.*
—— Quòd ſedem figere cumis
Deſtinet. *Juvenal.* 3. *Sat.* v. 2.

Opportuna dies illi ſtatuetur & hora,
In cunctas mitti poſſit ut indè domos.
Cùm tunc virginibus ſacris cœnobia nulla
Starent, hinc dubium quæ domus apta foret.
Tandem decernunt ut amans odii atque tumultûs
Diva lares teneat, quos hymenæus habet.

---

26. *Dubium.*
Lucus erat, dubium Semelæ Stimulæne vocetur.
Ovid. 6. Faſt. 503.

Digitized by Google

FABULA XXI.

Juvenis Vidua.

Conjugis uſque obitum ſuſpiria multa ſequuntur,
   Planctu tecta ſonant; dein dolor omnis abit.
Mœrorem ut tacitis tempus ſecum avehit alis,
   Sic tempus ſecum gaudia ſpontè refert.
Quâ die obit conjux, viduam aſpice, & aſpice eamdem
   Anno poſt, penitùs diſcolor ipſa ſibi eſt.
Non eadem hæc, dicas, mulier; placet omnibus iſta
   Fronte hilari, luctu quemlibet illa fugat.
Fletibus hæc veris fictisve indulget; eoſdem
   Non ceſſat mœrens ingeminare ſonos.
Dicitur haud unquàm miteſcere poſſe dolorem:
   Dicitur at falsò, fabula noſtra probat.

---

3. *Avehit.* Avehere eſt transferre è loco in locum, exportare.
Creditis avectos hoſtes. *Virg. 2. Æneid. v. 43.*
Venit ut ſecum avehat. *Terent. Adelph. 4. 5. 19.*
——— Quot eras
Annos natus, quùm te pater à patriâ avehit?
Plaut. Menæchini, act. 5. ſcen. 9. v. 55.

6. *Poſt.* Quandòque uſurpatur loco adverbii, poſteà, & hoc quandò nulli caſui ſervit, aut quandò jungitur ablativo. Sic dicit Virgilius:
——— Longo poſt tempore venit.
Annis poſt multis pecunia reparata eſt. *Cic. pro Flac. 56.* Reprehendit eas res, quas idem Cæſar anno poſt & deinceps ſingulis adminiſtraviſſet in Galliâ. *Idem. Cic. de Clar. Orat. 218.*

11. *Falsò.*
Promittes votum; ſcit te promittere falsò.
Ovid. Heroid. 20. v. 195.

Digitized by Google

Imò res docet. È terris migrare parabat
Vir quidam, juvenis quem prope nupta ſtetit.
Tam citò ne properes, conjux, cariſſime conjux;
Expecta paulùm, te comitabor, ait.
Noſtra tuæ ſociata parat mens linquere terras.
At fecit conjux incomitatus iter.
Vir cordatus erat viduæ pater: ille tenellis
Ex oculis largas ire ſinebat aquas.
Afflictæ ut tandem reddat ſolatia menti,
Nata, inquit, lachrymis ſatque ſuperque datum.
Quid tantos mergis fletu uberiore lepores?
An gelido cineri proficit iſte dolor?
Cùm ſint in terris vivi queis debita cura,
Pectore mitte procul, quos niger orcus habet.
Non hortor, ſubitò ſe feſta in gaudia vertat
Hic, meliore datâ conditione, dolor.
At tibi ne prohibe, poſt tempus triſte, maritum
Offerri, cui ſit forma, juventa, decor.
Inveniam, quem tu præpones ipſa ſepulto.
Tùm nata: ah! clauſtrum jam mihi ſponſus erit.
Expectat genitor dùm pectore decoquat ægro
Mœrorem illa ſuum, menſis & unus abit.
Exin nulla dies tranſit quin femina quiddam
Mutet in ornatu, tegmine, linteolis.

---

19. *Cordatus*, adject. qui corde præditus eſt; *id eſt*, ſolers & ſapiens: antiqui enim philoſophi quidam in corde ſapientiam conſtituebant.

Egregiè cordatus homo Catus Ælius Sextus. *Ennius apud Ciceronem*, 1. *Tuſcul.* 18. Non inficior fuiſſe Socratem paulò cordatiorem quàm cæteros. *Lactant.* 3. 20.

29. *Tempus triſte.*

Tempus & à noſtris exige triſte malis.

Ovid. 4. *Triſt. Eleg.* 3. *v.* 36.

Digitized by Google

Jam tandem cultum luctûs inſignia ſupplent,
  Lætius accerſat dùm nova pompa decus.
Ad notam revolat ſedem turba omnis amorum,
  Ludi, cum levibus læta chorea jocis.
Tùm pleno dulce eſt immergi fonte Juventæ,
  Cùm nox atra vocat, cùm fugat aſtra dies.
Tam carum haud genitor formidat, ut antè, maritum;
  Nec velit an rursùm nubere nata, rogat.
Bellula ſic tandem: nitidus florenſque juventâ,
  Quem mihi ſpondebas, nunc ubi ſponſus, ait?

Finis Libri ſexti.

Exempli veſtri, proh ! quæ contagia ! ubique
Graſſari ſcelerum monſtra nefanda vident.
Verti in ludibrium ſeque & ſua templa queruntur,
Et furibundam auri corda tenere famem.
Quippè ad nos dominâ quotquot mittuntur ab urbe,
Quis neſcit cupidis nil ſatis eſſe viris ?
Nititur incaſſùm tellus, homineſque laborant,
Quò repleri adeò vaſta vorago queat.
Hos revocate. Malis fractus tandemque fatiſcens
Excolere ingratis ruſticus arva negat.
Ex urbe in montes fugimus, ſponſiſque relictis
Hîc urſos inter vivimus horriferos.
Nos piget, heu ! miſeros parere ac implere colonis
Terram, proculcat quam pede Roma fero.
At nuper natam ſobolem, ne ſerviat, atros
Præcipiti cupimus claudere fine dies.
Damno flagitium prætores addere veſtri
Nos adigunt : noſtris hos removete plagis.

---

76. *Horriferos.*

—— Septemque triones
Horrifer invaſit Boreas. *Ovid. l.* 1. *Metam. v.* 65.

77. *Implere colonis.*

Arva venenatis, pro ſemine, dentibus implet.
Ovid. Heroïd. Epiſt. 12. *v.* 95.

—— Immuneris piſcibus implet aquas.
Idem. l. 4. *Faſt. v.* 106.

—— Atque omne querelis
Impleri nemus. *Virg.* 8. *Æneid. v.* 215.

86. *Lachrymoſa.* Lachrymoſus, *id eſt*, provocans lachrymas, flendus.

—— Sub lachrymoſa Trojæ funera.
Horat. lib. 1. *Od.* 8.

Hic bellum lachrymoſum.
Idem. lib. 1. *Od.* 21.

Sin: nos mollitiem ſolam, vitiumque docebunt;
    Germanus pariter, raptor, avarus erit.
Romuleæ ingreſſus vix urbis mœnia, vidi
    Nil oculis, præter tot lachrymoſa, meis.
Queis avidos capias, forſan tibi munera deſint,
    Aut ſit, quam dones, purpura nulla tibi:
Tutelam expectas legum, ſpe luſus inani,
    Aut tutela nimis ſera venire ſolet.
Acrior hæc, credo, veſtras oratio mentes
    Lædere iam cœpit, non ego plura loquar.
Sincero nimiùm fuerim ſi pectore queſtus,
    Sermonem celeri plectite morte meum.
Tùm ſe ſternit humi vir ruſticus; acre jacentis
    Judicium, eloquium, fortem animumque ſtupent.
Patriciis hominem properant aſciſcere: talis
    Hujus cenſuræ pœna repenſa fuit.
Prætores alios deſignant, atque tabellis
    Scribi dicta hominis cur a tota jubet.
Juſſi oratores hæc tanquàm exemplar habere.
    Hoc Roma eloquio non fuit uſa diù.

FABULA VII.

Senex & tres Juvenes.

Plantas vir (geminans octo jam luſtra) ſerebat:
Hâc ætate (licet) conſtruat ille domos.
Conſerat at plantas! næ ſit delirus, oportet:
Sic terni juvenes increpuêre ſenem.
Per Superos, labor iſte tuus quò ſpectat? ab illo
Quiſnam ſperatur fructus, amice, tibi?
Quot vixit primis hominum de patribus unus,
Te ſit opus totidem vivere poſſe dies.
Vitam quâ frueris, cur turbat cura futuri
Quod tibi non certè Parca videre dabit?
Præteritæ ætatis nunc ſolùm errata revolve,
Abjice ſpes longas vaſtaque conſilia.
Nos tantùm illa decent primævo in flore juventæ.
At neque vos, ſenior rettulit, illa decent.
Cœptum opus exigitur nunquàm niſi tempore longo,
Exactumque brevi tempore ſtare ſolet.
Veſtros atque meos pallentis dextera Parcæ
Conſuevit pariter ludificare dies.
Noſtri ævi propè par brevitas. Noſtrûm ultimus ecquis
Æthræ gaudebit luce micante frui?

---

15 *Exigitur.* Exigere aliquandò ſumitur *pro* perficere, abſolvere.
Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetuſtas.
Ovid. Metam l. 16. v. 871.
Exegi monumentum ære perennius. *Hor. l. 3. Od 24. v. 1.*
20 *Æthræ.* Æthra, æ. *pro æthere*, poëticum eſt.
Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus æthrâ
Sidereâ polus. *Virg. Æneid. l. 3. v. 585.*

Digitized by Google

Momentum præſens numquid præſtare ſequentis
  Momenti cuiquam pignora certa poteſt ?
Hæc mihi debebunt umbracula læta nepotes,
  Quos è ſtirpe meâ tempora ſera ferent.
Creditis indignum ſapiente inſtare labori
  Providus undè aliis commoda blanda paret ?
Hoc ipſum eſt fructus quem nunc præguſto libenter,
  Cras ego quo poſſum poſtridièque frui.
Non ſemel & reducem potero Titana tueri
  Corpore ſtans ſano, veſtra ſepulchra ſuper.
Dixit vera ſenex. Indas dùm tendit in oras,
  Ad portum infidis occidit unus aquis.
Pro patriâ arma gerens, dùm magnos alter honores
  Appetit, hunc ferro mors inopina rapit.
Tertius occumbit ſilveſtri ex arbore lapſus,
  Huic ramum dùm vult inſeruiſſe pyri.
Extinctos plorans juvenes, ea marmore cælat,
  Carmine quæ noſtro ſunt modo ſcripta, ſenex.

Namque volans rubrâ fulvus Jovis ales in æthrâ.
Idem. l. 12. *Æneid. v.* 247.

Eſt autem æthra latinè formatum ab accuſativo græco, *æthera*, per ſyncopen. Aërem complexa ſumma pars cœli quæ æthra dicitur, & ſuum retinet ardorem tenuem, & nullâ admixtione concretum, & cum aëris extremitate conjungitur. *Cic.* 2. *de Nat. Deor.* 127.

Digitized by Google

FABULA VIII.

Mures & Bubo.

Non ulli dicas unquàm: mirum accipe factum;
Audi quæ multo ſunt joca plena ſale.
Quî ſcis, quod jactás, æquè miretur an alter?
Hoc tamen exceptum quod memorabo, velim.
Prodigium credo; quanquàm ſit vera, jocoſi
Figmenti ſpeciem res tibi tota dabit.
Annoſam pinum, mordacis verbere ferri
Exciſam, ſtravit ruſtica dextra ſolo.
Hæc vetus & triſtis ſedes habitata volucri,
Quæ, Parcæ interpres, fata ſiniſtra canit,
In trunci latebrâ, quem longa exederat ætas,
Hoſpitibus variis concava tecta dabat.
Quos inter, mures ſtabulabant agmine denſo;
Pingui turba teres corpore, trunca pedes.

---

4. *Exceptum*, *excipere*, pro *demere*, *eximere de numero.* Nullum poteſt eſſe genus orationis, quod ſit exceptum. *Cic.* 2. *Orat.* 66.

Des nummos, excepta nihil te ſi fuga lædat.
Hor. l. 2. Epiſt. 2. v. 16.

6. *Speciem dabit*, id eſt, *ſimilitudinem habebit.*

Ludentis ſpeciem dabit & torquebitur.
Horat, l. 2. Epiſt. 2. v. 124.

9. *Triſtis ſedes.*

Ut triſtes, ſine ſole, domos, loca turbida adires.
Virg. 6. Æneid. v. 534.

13. *Stabulabant.*

Centauri in foribus ſtabulant, ſcyllæque biformes.
Virg. 6. Æneid. v. 286.

Stabulant *pro* habitant.

Paſcebat volucris cunctos in farris acervo:
Nullus quem roſtro non mutilâſſet, erat.
Judicium buboni inerat, fateantur oportet
Inviti tandem conticeantque ſophi.
Venari mures teneris aſſuêrat ab annis;
Quos cepit primos, proſiluêre domo:
Quos dein arripuit, plantas his cautior ales
Abſcidit, caperet ne ſua præda fugam.
Hos placitis ſibi tantùm horis mittebat in alvum:
Nempè hodiè natum, poſtridièque patrem.
Non omnes unà poterat prandere; noceret
Prætereà ſtomacho copia multa nimis.
Iſtius æquabat volucris prudentia noſtram:
Muribus in victum grana ciboſque dabat.
Si bubo, ut fidus Carteſî jurat alumnus,
Tanquàm horas ſignans machina, mente caret;

---

21. *Plantas.* Planta propriè eſt tota pars inferior pedum; ſæpè ſumitur pro ipſis pedibus.

Ut primùm alatis tetigit magalia plantis.
Virg. l. 4. Æneid. v. 259. de Mercurio.

I. e. ſtatim atque alatis pedibus tetigit caſas.

Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Tranſit equum curſu. *Idem. l. 11. Æneid. v. 718.*

I. e. ardens pedibus velocibus, curſu equum prætergreditur.

22. *Abſcidit* Abſcidi eſt præteritum perfectum verbi, *abſcido*; idem ſignificantis, quod abſcindo.

Abſcidit jugulo pectuſque humerumque ſiniſtrum.
Ovid. Metam. lib. 12. v. 362.

In *abſcindo* abſcidi, penultima præteriti corripitur.

Heſperium ſiculo latus abſcidit, arvaque & urbes.
Virg. 3. Æneid. v. 418.

Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas.
Ovid. l. 1. v. 22.

25. *Prandere* pro *comedere.*

Luſcinias ſoliti impenſo prandere coemptas.
Hor. l. 2. Epiſt. 2. v. 168. de filiis Arrii.

Digitized by Google

Vi quânam occultâ didicit truncare cohortem,
   Ritè ſaginandam quam cava pinus habet?
Hîc, ſi conſilium deeſt, ſi rationis acumen;
   Me, quid ſit ratio conſiliumque, latet.
Jam quot conficeret catus argumenta, videte.
   Ut gens iſta fuit capra, repentè fugit:
Ergò ut capta fuit, ventri donanda repentè.
   Totane? Noſtra alvus non foret ampla ſatis.
Nonne & magna fami pars eſt ſervanda futuræ?
   Paſcenda ergò mihi, ſed retinenda ſimul.
Ne tecto effugiat, quâ certiùs arte vetandum?
   Inſtrumenta fugæ crura ſecanda gregi.
Nunc age, dic, homines inter, rem duxit an ullus
   Majori ad finem calliditate ſuum?
Numquid Ariſtoteles ducem & hunc quicumque ſequuntur,
   Nos aliam logicen, dicite, quæſo, docent?

Digitized by Google

EPILOGUS.

Sic puri mea muſa ſedens in margine rivi,
Sermone expreſſit nobiliore Deûm,
Quidquid res variæ ſub cœli fornice dicunt,
Quæ nos naturæ, tam benè, voce docent.
Audax interpres populorum mille jubebam
Actorum hos varias ſuſtinuiſſe vices.
In toto mutum orbe nihil; natura magiſtra
Illis dat meliùs quàm mea muſa, loqui.
Me minùs inveniunt ſi, quos induco, fidelem,
Noſtrum opus, exemplar ſi nequit eſſe bonum;
Inſtiterat quam nemo viam, ſaltem ipſe recluſi,
Summam alii poterunt impoſuiſſe manum.
Dilecti Muſis, incœptum abſolvite, vates:
Plurima, quæ ſilui, vos documenta date.
Figmenti grato monita occultetis amictu;
Sed totos alter vos labor ecce tenet.
Noſtra vacat dulci dùm muſa innoxia ludo,
Europam Lodoix, vindice Marte, domat.
Dexterâ ad eventum perducit cœpta potente
Ardua, quæ nullus rex priùs auſus erat.
Argumenta iſthæc Parcas & tempora vincent;
Vos plenis, vates, illa ſonate tubis.

Finis Libri undecimi.

Digitized by Google

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER DUODECIMUS.

FABULA PRIMA.

Ulyſſis Socii.

SERENISSIMO PRINCIPI

DUCI BURGUNDIÆ.

O tu Cœlicolûm cura unica, regie ſanguis,
  Sit mihi fas aris thus adolere tuis.
Seriùs offerimus noſtræ tibi dona camœnæ:
  votis obſtiLonga ætastit atque labor

Digitized by Google

Ingenium mihi decreſcit, tibi creſcit in horas,
Exilit, imò volat, ceu foret aligerum.
Qui pulchras adeò tibi dotes indidit, heros,
Arte in bellantûm jam facere ardet idem.
Jamque giganteo, vocat hunc quò gloria, paſſu
Tenderet, & Martem cogeret eſſe ſuum.
At vetat ille Deus, qui nobis imperat, uno
Quem menſe edomitis Rhenus adorat aquis.
Scilicet hæc celerem poſcebant tempora dextram,
Fors nunc imprudens impetus ille foret.
Hoc taceo; longis pronam ſermonibus aurem
Haud præbere leves riſus amorque ſolent.
Nempè tuâ tales divi verſantur in aulâ,
Atque tuum ſtipant nocte dieque latus.
Sunt alia, hîc primas teneant quæ numina ſedes,
Facta & ſermones hîc ratio una regit.
Illius auſcultes docilis præcepta; docebunt
Quàm græcis olim mens malecauta fuit.
Qui formis pecudum humanas mutare valebat,
Deluſit blandus credula corda liquor.
Æolidæ ſocios, decem ab annis, æquore toto
Jactârant trepidos ſorſque notuſque ſimul.
Appellunt oris, ubi Solis filia Circe
Tunc habuit ſedem perfidioſa ſuam.
Pelliciente Deâ duxerunt pocula plena
Deliciis, ſed ubi dira venena latent.
Sublata his ratio, vultum amiſêre priorem,
Et verti in varias ſe ſtupuêre feras.
Plurimus ex illis leo fit, barrusve vel urſus,
Immenſa his moles, his mediocris ineſt;
Sunt quidam exigui qualis talpa. Unus Ulyſſes
Infeſtâ Divæ tutus ab arte fuit.

Cavit ab inſido calice; huic mens càuta, ſimulque
Herois vultus, ſermoque blandus erat.
Sic capit ergò ſagæ mentem, hæc ut dulce venenum,
Potet, quod magicâ non minus arte valet.
Corde imo quodcumque tegit, depromere quævis
Diva ſolet; flammam prodidit illa ſuam.
Appoſuiſſe lucro benè novit dexter Ulyſſes
Horam, fors nunquàm quæ reditura foret.
Impetrat ut græcis reddatur priſtina forma.
Aſſenſumne dabunt? filia Solis ait.
Abſque morâ turbam, rem propoſiturus, adito.
Continuò hic turbæ talia verba dedit:
Toxico adhuc ſupereſt aliquod medicamen, amici,
Offero; vos homines rursùs an eſſe juvat?
En vox nota redit vobis. Sibi rudere viſus
Tùm leo: non mens eſt tam maleſana mihi.
Quid! dona abjicerem, quæ ſunt mihi parta recenter!
Nunc os munitum dente gero, ungue pedes.
Diſcerpo audacem quemvis, me quandò laceſſit;
Rex ego: civem Ithacæ me fierine decet?
Eſſe iterùm cogar forſan ſine nomine miles;
Mutabo haud ſortem: ſic mihi mente ſedet.
Cùm leo perſtaret, petiit Laërtius urſum:
Pulchelli vultûs, antè, ſodalis, aït,
Os jam quale tibi! lepidam rem! Rettulit alter:
Os mihi quale! urſo quale mihi eſſe decet.

---

42. *Flammam prodidit.* O homines cæcos, qui talia numina vetito amori dedita colebant! ô religionem abſurdam atque turpem, quæ ſuorum Deorum exemplo homines ad vitia alliciebat!

Digitized by Google

Te quiſnam edocuit formæ præcellere formam ?
  Tu noſtræ judex æquus an eſſe potes ?
Credendum magis eſt urſæ me adamantis ocello.
  Diſpliceone tibi ? Jam vale : perge viam.
Vivo lætus ego, liber, curiſque ſolutus ;
  Mutabo haud ſortem, nec loquor ambiguè.
Dux græcus rem deindè lupo proponit eamdem,
  Par ſubeunda licèt fortè repulſa ſibi.
Erubui, pulchrâ ſilvis narrante puellâ,
  Alvum agnis, frater, te ſaturâſſe ſuis.
Illius fueras quondàm tutatus ovile,
  Tunc vita acta tibi non ſine laude fuit.
Deſere jam ſilvas, formam & depone lupinam,
  Virque iterùm fias vultu animoque probus.
Tùm lupus : an probus eſt quiſquam ? paucos ego novi.
  Tu me avidam dicis ſanguineamque feram :
Ipſe quis es ? quanquàm intactas mihi, nonne comeſſes,
  Pagus quas querulus ſæpè repoſcit oves ?
Me fac eſſe hominem ; an prædæ minùs atque cruoris
  Sim cupidus ? teſtor teque tuumque genus.
Vos alios alii, verbum ob leve, ſæpè necatis ;
  Nonne homini cuivis eſt lupus alter homo ?
Ad ſummam, cùm ſint homineſque lupique ſceleſti,
  Non juvat eſſe hominem, prætulerim eſſe lupus.
Mutabo haud ſortem, mihi fert ita cordę voluntas.
  Omnes argivûm dux eadem admonuit :
Huic omnes eadem reſponſa dedére viciſſim,
  His ſeu vile genus, nobile ſive foret.

---

84. *Alter* pro *alius*. Qui tantùm inter ſe diſtant in genero dicendi, ut nemo ſit alteri ſimilis. *Quintil. l.* 2. *cap.* 9. & *l.* 7. *cap.* 1. Atque etiam ſubjiciunt ſe homines imperio alterius & poteſtati pluribus de cauſis. *Cic.* 2. *Offic.* 22.

Digitized by Google

Libertas, ſilvæ, ſemperque expleta cupido
Summæ his deliciæ, ſumma fuêre bona.
Laus tangit nullum, ſectatur quiſque quod ardet;
Dùmque ſibi ſervit, ſe dominum eſſe putat.
Hîc argumentum, princeps, tractare volebam,
Feſtiva utilibus quò benè mixta forent.
Pulchrum conſilium, haud facilis delectus: Ulyſſis
Obtulit at ſocios noſter Apollo mihi.
Permulti noſtrûm his ſimiles, me judice, debent
Cenſurâque tuâ plecti odioque tuo.

FABULA II.

Felis & duo Paſſeres.

DUCI BURGUNDIÆ.

Vivebat cum fele tener paſſerculus : îſdem
 Ambos naſci eadem viderat hora focis.
Commune à teneris ambo conclave colebant
 Conſortes, caveæ proxima ciſta fuit.
Sæpè laceſſebat felem rixoſa volucris :
 Hæc roſtro pugnat, ludit at ille pede.
Qui tamen indulgens læſiſſe veretur amicum,
 Emendans ictu dùm leviore ferit.
Grande ſcelus credat ſeſe committere, lenem
 Si ferulam rigidis armet aculeolis.
Roſtelli at crebris felem ictibus impetit ales,
 Cui minus obſequium, conſiliumque minus.
Intereà felis placidus prudenſque, procacis
 Alitis excuſat liberiora joca.

---

2. *Focis*, i. e. *domo*.

——— Lætam cognomine gentem
Hortor amare focos. *Virg. Æneid. l. 3. v. 134.*

I. e. Hortor, ut curet domos ſuas.

——— Habitatum quinque focis &.
Hor. l. 1. Epiſt. 14. v. 2.

I. e. ubi ſunt quinque domus.

12. *Conſilium* pro *prudentiâ*.

Vis conſilî expers mole ruit ſuâ.
Horat. lib. 3. Od. 4. v. 65.

I. e. vires prudentiâ deſtitutæ per ſe ipſæ concidunt, nullo impellente.

Digitized by Google

Dulci colludens ubi pugnat amicus amico,
  Non unquàm mentes aſperet ira gravis.
Cùm foret à teneris ſibi notus uterque viciſſim,
  Hos vetus in jugi pace fovebat amor.
Nunquàm in vera ſuos vertebant prælia luſus:
  Vicinæ at paſſer viſit utrumque domûs.
Fit ſocius cauti felis volucriſque protervæ;
  Tandem lis geminas naſcitur inter aves.
Rem non conſpexit ſedato pectore felis;
  A causâ ſocii protinùs ille ſtetit.
Iſte, ait, ignotus qui noſtrum ſævus amicum
  Lædit, nos ſtolidos ſcilicet eſſe putat.
Noſter ab externo comedetur paſſere paſſer?
  Diſperecam potiùs, diſpereantque mei.
Confeſtim inſtructus nativis emicat armis,
  Advenam & infrendens vindice fauce vorat.
Exclamat pranſus: næ paſſer dulcior eſca eſt!
  Quòd ſecum id reputet, cœnat & indigenam.
Quæ morum indè poteſt deduci regula? Quippè
  Fabella eſt mancum, ni doceamur, opus.

---

15. *Colludens amico* pro *colludens cum amico.*

——— Geſtit paribus colludere.

Hor. Art. Poët. v. 159. *de puero.*

32. *Cœnat.* Cœnare *pro* comedere.

In nive lucanâ dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego. *Horat. l.* 2. *Sat.* 3. *v* 235.

——— Emptum cœnat olus.

Idem. l. 2. *Epiſt.* 2. *v.* 168.

I. e. emptis veſcitur leguminibus.

Mî quaſi per nebulam quædam hìc documenta videntur;
At me umbrâ ludunt decipiuntque ſuâ.
Confeſtim hæc reteges, princeps ô mentis acutæ!
Mî labor hoc eſſet, ſed tibi ludus erit.
Te mea demirans Muſa, Aoniæque ſorores
Judicium nequeunt æquiparare tuum.

---

35. *Quaſi per nebulam.*

Sunt quæ te volumus percontari, quæ quaſi
Per nebulam noſmet ſcimus atque audivimus.

Plaut. Pſeudol. act. 1. ſc. 5. v. 47.

Quod videbam equidem per caliginem. *Cicero. in Anton.* 12. 2.

FABULA III.

Simius & Homo theſauros accumulans.

Dives acervatim nummos condebat in arcâ,
(Error hic aſſuevit creſcere fitque furor.)
Aureolos tantùm verſabat mente Philippos.
Vanas eſſe reor, deeſt quibus uſus, opes.
Ille ſuam ut gazam tutò ſervaret avarus,
Ignoto coluit tecta remota loco.
Amphitrite, ædes ne quis latro poſſet adire,
Ex omni clauſum parte tuetur iter.
Impiger hic aurum geſtit cumulare: voluptas
Hujus judicio maxima, parva meo.
Quotquot habet nummos, tractat noctuque diuque;
Computat aſſiduâ dinumeratque manu.
Ceu ſit conductus mercede, hos uſque retractat,
Namque aliquid ſummæ ſemper abeſſe videt.
Scilicet argenti decurtans ſemper acervum,
Molis non modicæ ſimius hîc aderat.
Per mediam duplices nummos vibrare feneſtram
Aſſuêrat. Certè plus ſapiebat hero.
Hic gazam in menſâ credebat poſſe relinqui;
Quippe catenatâ limina clauſa ſerâ.
Scurrili in mentem venit pecudi, omne metallum
Largiri æquoreo, ceu ſacra dona, Jovi.

a. *Fit furor.*
Fis anus. *Hor. l.* 4. *Od.* 13. *v.* 2.
Fallor? An hi fient ingentia mœnia colles?
Ovid. Faſt. l. 1. *v.* 515.

Digitized by Google

Cùm perpendo, viri an major ſimîve voluptas;
    Me, fateor, ſit utri debita palma, latet.
Victor, ſi qua fides nonnullis, ſimius eſſet:
    Longius hîc cauſas enumerare foret.
Ergò aliquid ſemper domini dùm demit acervo
    Improba, erat cui mens una nocere, fera:
Artem exercet in hoc vireſque, ut jactet in æquor
    Quæ præſertim hominum quiſque metalla ſitit.
Aëra pervolitant ſolidi, libræ atque talenta,
    Cumque novâ veteris multa moneta notæ.
Theſauri dominus tandem in ſua tecta revertit;
    Immiſsâ clavi ſtridet ahena ſera.
Ni fera ſic fuerat compulſa abrumpere ludum,
    Aërium nummus carperet omnis iter.
Et nullo ſalvo, in barathrum volitâſſet avarum
    Quod damno ditat non ratis una ſuo.
Quæſtore à multo meliùs qui neſciat uti
    Nummis, avertat talia damna Deus!

---

24 *Cedere* pro *recedere*.
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis. *Hor* l. 3. *Od.* 8.
Tu tamen exilii morſus è pectore noſtro
Fomentis ſperas cedere poſſe tuis.
Ovid. ex Ponto. L. 1. *Epiſt.* 3. *v.* 43.

Digitized by Google

FABULA IV.

Duæ Capellæ

LIBERTATIS amor, cytiſum ut pavêre, capellas
Incitat huc illuc ſe pede ferre vago :
Semotos ſaltus atque abdita paſcua quærunt,
Quâ genti humanæ ſemita rara patet.
Si quis inacceſſus locus eſt, & inhoſpita rupes,
Si ſtat prærupti montis acutus apex,
Barbatorum illuc uxoribus ire libido ;
Scandere lætum animal, nil inhibere poteſt.
Ergò mente pari liquerunt ima licenter
Prata duæ capræ, pes quibus albus erat.
Sortis amore bonæ, oppoſitis è partibus ibant ;
Ambas ad rivum duxit utrinque via.
Pons, brevis aſſer erat, binis quà vix benè juſtum
Muſtelis æquâ fronte patebat iter.
Quin retinere metu debebat amazonas ambas
Quæ præceps alto volvitur unda vado.
Nil tamen has terret ; malè tuto imponere fidit
Ponticulo iſta pedem, fidit & illa ſuum.
Ire ad colloquium celebris quos inſula vidit,
Tales, hinc Lodoix, indè Philippus, erant.
Frontibus adverſis, pede ſic procedere lento
Fortuitam quærens bina capella dapem.

18. *Ponticulo.* Ponticulus, diminutivum, parvus pons. Et cùm foſſam latam cubiculari lecto circumdediſſet, ejuſque foſſa tranſitum ponticulo ligneo conjunxiſſet. *Cicero. 5. Tuſ c5ul.9* Ponticulum tranſire. *Sueton. in Cæſar. c. 31.*

Digitized by Google

Ambarum tumidas tenet æqua ſuperbia mentes ;
Hinc ambæ è medio cedere ponte negant.
Clarebant pariter generoſo è ſanguine cretæ ;
Faſtis, quos legi, ſi ſit habenda fides.
Altera ducebat genus à præſtante capellâ
Donârat Cyclops quam, Galathea, tibi.
Altera Amaltheæ celebri de gente capellæ,
Quæ ſummi Superûm regis alumna fuit.
Aſſer ſub pedibus nutat, labuntur in alveum
Ambæ, retrorsùm neutra quòd ire velit.
Sæpè ita qui dubiis fortunæ callibus ibant
Rivales ambo, diſperiêre ſimul.

---

36. *Carperet.*
Æthereum qui pede carpit iter.
Ovid. l. 5. Faſt. v. 88. de Mercurio.
——— Supremum
Carpere iter comites parati.
Hor. l. 2. Od. 17. v. 12.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
BURGUNDIÆ DUCI,

Qui à Fontanio Fabulam poſtulaverat, quæ Catus * & Muſculus inſcriberetur.

Quò placeam tibi,
Regia proles,
Cui fama cantibus meis
Templum perenne deſtinat;
Quî potero, precor,
Condere fabulam
Cui titulus ſit:
Catus atque muſculus?

Noſtrane Muſa
Hic exhibebit virginem
Quæ blanda vultu, mente ſed ferox
Illecebris malè
Capta potentibus
Pectora ludit,
Ceu muſculum ludit catus.

* *Catus* eſt quandòque ſubſtantivum, quod felem marem ſignificat. Palladius Rutilius Taurus, medicus doctiſſimus, qui vixit circa an. 129. hâc utitur voce in tomo nono. (Contra talpas, inquit, prodeſt catos frequenter habere.) Hic Palladius varios conſcripſit tractatus in iiſque unum de agriculturâ, in quo continentur duodecim libri, qui ſingulis anni menſibus reſpondent.

Digitized by Google

An fortunæ
Mutabilis ludibria
Decet eſſe noſtri carminis
Argumentum?
Talis imago
Huic benè convenit.
Infida crebris caſibus
Ludit amicos,
Ceu muſculum ludit catus.

Magnumne præſtat regem inducere
Unum ex amicis quem ſuis
Illa veretur?
Qui novit unus ſiſtere
Volubilem Deæ rotam;
Quem ſimul æmulus orbis
Conjuratus in ipſum
Curâ nec angit, nec quatit metu;
Qui vel potentiſſimos
Ludit ad arbitrium,
Ceu muſculum ludit catus?

At ecce jam meum
Senſim propoſitum aſſequor;
Et, niſi fallor,
Si vellem addere plura,
Opus omne fœdarem meum.
Ætatis, ô princeps, tenellulæ
Subitò viderem jure te meam
Ludere muſam,
Ceu muſculum ludit catus.

FABULA V.

Felis ſenior & junior Mus.

Mus, cui nullus erat teneris rerum uſus in annis,
  Longævi captus felis ab ungue fuit.
Credidit inflecti Rapilardum poſſe ferocem
  Argumentorum pondere, vique precum.
Ah! mihi da vitam: quid damni ferre culinæ
  Poſſim tam gracilis tamque minutus ego?
Judice te, victu fraudare an herum atque maritam,
  Et prolem & famulos, cœnula noſtra queat?
Perleve mî farris granum ſatis ampla miniſtrat
  Pabula: nux totum me teretem una facit.
Nunc macilentus ego: ſine me pingueſcere, donec
  Nobilibus natis porrigar eſca tuis.
Sic vitam orabat rigido deprenſus ab hoſte.
  Deluſit te ſpes irrita, raptor ait.
Ten' decet has garrire mihi, ſtolidiſſime, nugas?
  Non magis ac ſurdum me tua dicta movent.
Eſſe catum atque ſenem, captoque ignoſcere muri:
  Evenit in toto rarius orbe nihil.

---

8. *Cænula.* Dim. Quid vos, heſternâ cœnulâ, non intellexiſtis me pecuniâ non egere? *Cic.* 5. *Tuſcul.* 91.

Parva eſt cœnula, quis poteſt negare?
Martial. l. 5. *Epigr.* 79.

15. *Garrire nugas.*

——— Cum quidlibet ille
Garriret. *Hor. l.* 1. *Sat.* 9. *v.* 12.

17. *Catum.* Catus eſt vulgò adjectivum, quod ſignificat idem ac callidus & ſagax; tamen eſt quandoque ſubſtantivum, quod felem marem ſignificat.

Digitized by Google

Tali damnatus lege, haud impunè recedes;
At morere, & Ditis lurida regna pete.
Atque ad lanificas tua verba effunde Sorores:
Non deerit natis altera cœna meis.
Nec plura effatus; ſequitur res proxima dictum.
Fabellæ ſenſus convenit iſte meæ:
A ſe extorquendum quodvis prece, cæca juventus
Confidit; quodvis dura ſenecta negat.



INDEX FABULARUM TOMI PRIMI.

LIBER PRIMUS.

Fabula I. *Cicada & Formica*, pag. 2
Fabula II. *Corvus & Vulpes*, 3
Fabula III. *Rana rupta*, 5
Fabula IV. *Duo Muli*, 8
Fabula V. *Lupus & Canis*, 9
Fabula VI. *Vacca, Capella, Ovis & Leo*, 12
Fabula VII. *Pera*, 14
Fabula VIII. *Hirundo & Aviculæ*, 17
Fabula IX. *Mus urbanus & Mus ruſticus*, 21
Fabula X. *Lupus & Agnus*, 22
Fabula XI. *Homo & Imago ejus*, 24
Fabula XII. *Gemini Dracones*, 26

Digitized by Google

Fabula XIII. *Latrones & Aſinus*, 28
Fabula XIV. *Simonides à Diis ſervatus*, 30
Fabula XV. *Mors & Homo infelix*, 34
Fabula XVI. *Mors & Lignator*, 36
Fabula XVII. *Homo mediæ ætatis*, 38
Fabula XVIII. *Vulpes & Ciconia*, 40
Fabula XIX. *Puer & ludi Magiſter*, 42
Fabula XX. *Gallus & Gemma*, 44
Fabula XXI. *Apes & Fuci*, 45
Fabula XXII. *Quercus & Arundo*, 48

LIBER SECUNDUS.

Fabula I. *In cenſores difficillimos*, 50
Fabula II. *Conſilium à Muribus habitum*, 53
Fabula III. *Lupus & Vulpes, Simio judice*, 55
Fabula IV. *Duo Tauri & Rana*, 57
Fabula V. *Veſpertilio & duæ Muſtelæ*, 59
Fabula VI. *Volucris telo ſauciata*, 61
Fabula VII. *Canis parturiens*, 62
Fabula VIII. *Aquila & Scarabæus*, 64
Fabula IX. *Leo & Culex*, 67
Fabula X. *Duo Aſini*, 69
Fabula XI. *Leo & Mus*, 72
Fabula XII. *Columba & Formica*, 73
Fabula XIII. *Aſtrologus in puteum delapſus*, 74
Fabula XIV. *Lepus & Ranæ*, 77
Fabula XV. *Gallus & Vulpes*, 79

Fabula XVI. *Corvus Aquilam æmulans*, 81
Fabula XVII. *Pavo ad Junonem*, 83
Fabula XVIII. *Leo & Aſinus venantes*, 85
Fabula XIX. *Æſopus interpres teſtamenti*, 87

LIBER TERTIUS.

Fabula I. *Pistrinarius, Puer & Aſinus*, 94
Fabula II. *Membra & Stomachus*, 98
Fabula III. *Lupus factus Paſtor*, 101
Fabula IV. *Ranæ Regem poſtulantes*, 103
Fabula V. *Vulpes & Hircus*, 105
Fabula VI. *Aquila, Aper & Felis*, 107
Fabula VII. *Ebrioſus & ejus Uxor*, 110
Fabula VIII. *Podagra & Aranea*, 112
Fabula IX. *Lupus & Ciconia*, 114
Fabula X. *Leo ab Homine proſtratus*, 115
Fabula XI. *Vulpes & Racemi*, 116
Fabula XII. *Cycnus & Coquus*, 117
Fabula XIII. *Lupi & Oves*, 119
Fabula XIV. *Leo ſenio confectus*, 121
Fabula XV. *Philomela & Prochne*, 122
Fabula XVI. *Femina merſa*, 124
Fabula XVII. *Muſtella horreum ingreſſa*, 126
Fabula XVIII. *Felis & Mus ſenior*, 128

LIBER QUARTUS.

Fabula I. *Pastor & Mare*, 132
Fabula II. *Formica & Muſca*, 134

Fabula III. *Hortulanus & pagi Dominus*, 237
Fabula IV. *Aſinus & Catellus*, 240
Fabula V. *Pugna Murium & Muſtelarum*, 242
Fabula VI. *Simius & Delphinus*, 244
Fabula VII. *Homo & Idolum*, 246
Fabula VIII. *Gracculus*, 247
Fabula IX. *Camelus & Baculi fluctuantes*, 248
Fabula X. *Rana & Mus*, 249
Fabula XI. *Tributum Animantium*, 252
Fabula XII. *Equus*, 255
Fabula XIII. *Vulpes & Caput*, 257
Fabula XIV. *Lupus, Capra & Capreolus*, 258
Fabula XV. *Lupus, Mater & Puer*, 260
Fabula XVI. *Dictum Socratis*, 262
Fabula XVII. *Senex & ejus Filii*, 263
Fabula XVIII. *Oraculum & Impius*, 266
Fabula XIX. *Avarus, amiſſo theſauro*, 268
Fabula XX. *Oculus Domini*, 270
Fabula XXI. *Alauda, ejus Pulli & agri Dominus*, 272

LIBER QUINTUS.

Fabula I. *Lignator & Mercurius*, 275
Fabula II. *Olla lutea & Olla ænea*, 279
Fabula III. *Piſciculus & Piſcator*, 280
Fabula IV. *Auriculæ Leporis*, 281
Fabula V. *Vulpes, caudâ abſciſsâ*, 283
Fabula VI. *Anus & duæ Ancillæ*, 284

Digitized by Google

Fabula VII. *Satyrus & Viator*, 186
Fabula VIII. *Lupus & Equus*, 187
Fabula IX. *Agricola & ejus Filii*, 189
Fabula X. *Mons parturiens*, 190
Fabula XI. *Fortuna & Puer*, 191
Fabula XII. *Medici duo*, 192
Fabula XIII. *Gallina ova pariens aurea*, 193
Fabula XIV. *Aſellus Sacra gerens*, 194
Fabula XV. *Cervus & Vitis*, 195
Fabula XVI. *Colubra & Lima*, 196
Fabula XVII. *Lepus & Perdix*, 197
Fabula XVIII. *Aquila & Bubo*, 199
Fabula XIX. *Leo ad bellum profecturus*, 201
Fabula XX. *Urſus & duo Socii*, 203
Fabula XXI. *Aſinus Leonis pelle indutus*, 205

LIBER SEXTUS.

Fabula I. *Pastor & Leo*, 206
Fabula II. *Leo & Venator*, 209
Fabula III. *Phœbus & Boreas*, 210
Fabula IV. *Jupiter & Villicus*, 212
Fabula V. *Parvulus Gallus, Felis & Muſculus*, 214
Fabula VI. *Vulpes Simius & Animantia*, 217
Fabula VII. *Mulus ſuum genus jactitans*, 219
Fabula VIII. *Senex & Aſellus*, 220
Fabula IX. *Cervus ſe in aquis intuens*, 221
Fabula X. *Lepus & Teſtudo*, 222
Fabula XI. *Aſinus Dominos mutans*, 224
Fabula XII. *Sol & Ranæ*, 226
Fabula XIII. *Ruſticus & Serpens*, 227

Digitized by Google

Fabula XIV. *Leo ægrotus & Vulpes*, 228
Fabula XV. *Auceps, Accipiter, & Alauda*, 229
Fabula XVI. *Equus & Aſinus*, 230
Fabula XVII. *Canis, demiſsá prædá*, umbram captans, 231
Fabula XVIII. *Auriga cœno detentus*, 232
Fabula XIX. *Circulator*, 234
Fabula XX. *Diſcordia*, 236
Fabula XXI. *Juvenis Vidua.* 328

Finis Indicis Tomi primi.

VA1
154118

Digitized by Google